Viro Celeberrimo

Francesco Avellino

auctor.

DE

TABULIS EUGUBINIS

SCRIPSIT

CAROLUS RICHARDUS LEPSIUS

NUMBURGENSIS

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET ART. LIB. MAGISTER, SEMINARIORUM PHILOLOGICORUM GOTTINGENSIS ET BEROLINENSIS OLIM SODALIS, SOCIETATIS PHILOLOGICAE GOTTINGENSIS SOCIUS.

PARTICULA PRIMA.

BEROLINI

TYPIS ACADEMIAE REGII SCIENTIARUM.

MDCCCXXXIII.

APUD REIMERUM.

CAROLO PETRO LEPSIO

PATRI DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

GRATA PIAQUE MENTE

OFFERT

AUCTOR.

HISTORIA TABULARUM.

Quum studiorum academicorum varietate et Viri summe Venerandi tum egregio exemplo, tum privata, qua gaudebam, exhortatione primum deducerer ad Tabulas Eugubinas, insigne illud veteris Italiae monumentum, curiosius inspiciendas, et quem fructum hucusque litterae inde percepissent, considerarem: fabulantem sane credidissem, qui mihi diceret, quantum tempus, quantosque labores doctissimi quique suae aetatis homines iam perdidissent in his septem laminis explicandis. Quae enim O. Muellerus in praeclaro de Etruscis opere paucis in paginis de lingua tabularum egregie disseruit si exceperis, praeterea nihil, quod esset memoria dignum, usque ad hoc tempus per quatuor fere saecula erutum esse, iure aliquis dixerit. Quod si verum est, nonnullis operam potius ludere videbor, quam, quae res expostulat, curare, si nihilo minus Historiam Tabularum praemittere lubet. Verum tamen, praeterquam quod ad absolutionem meae qualiscunque in hoc monumento positae operae pertinere videtur, ut, quo tempore et quo loco tabulae repertae sint, referam, quique homines et qua fide vel universas tabulas, vel partes

ediderint, diligenter recenseam, praeterea id quoque operae pretium fore putavi, paucis exponere, cuiusmodi fuerint singulorum istorum his in rebus studia et labores. Nam sic demum sperare licebit, me assecuturum, ut, quod dixi, paene nihil dum haec studia profecisse, id non aut minus vere, aut adrogantius dixisse aliis videar: sic etiam mihi contigerit, ut, quibus ex caussis ita factum sit, et quid ipsi mihi in disputatione mea potissimum evitandum, quid enitendum sit, statim ab initio lectori copiam suppeditarim diiudicandi. Quod si vel in universa tractandi ratione, vel etiam in consilio, quid tandem ex illo monumento eruere cuperem, proposito, rectius quid vidisse videar illis hominibus, quorum operam iam recensere in animo est, id neutiquam in mea laude ponendum, sed omne accensendum esse quum litterarum, quem hodie omnino consecutae sunt, feliciori statui, tum illis inprimis viris maxime colendis, quos praeceptores mihi et fuisse et futuros esse semper praedicabo, quidni lubentissime atque ex animo profitear!

Iguvium (1) Umbrorum fuit urbs haud ignobilis (2) circa viam Flaminiam (3) ad Apennini montis

(1) Hodie *Gubbio* appellatur, in Delegatione Urbinate Status Ecclesiastici.

(2) Vide Cic. pro Balb. c. 20. Ep. ad Att. VII, 13. Caes. B. C. I, 12. Liv. XLV, 43. Sil. Ital. VIII, 460. Plin. H. N. III, 14. XV, 7. XXIII, 49. Ptolem. Strab. V. De posteriore Iguvii historia vide Reposati: Della Zecca di Gubbio, in Bologna 1772. 4. et Guernieri Berni, qui scripsit Annales patriae suae ab a. 1350. ad a. 1472. in Script. Rer. It. Vol. XXI. p. 919.

(3) Plin. H. N. XXIII, 49.

radices occidentem versus sita, cuius cives, posteaquam Umbria Romanorum potestati subiecta est, inter xv populos Umbriae relatos legimus ([4]). In vicinis montibus olim metalla exercebantur, si quae Passerius ([5]) de venis aeris suo tempore denuo detectis refert, iis fides habenda ([6]): multique Iguvinorum numi ibidem reperti demonstrant, proprias hanc urbem habuisse monetas. Non procul ab urbe in montis praerupto loco exstructum fuit sacrarium Iovis Apennini ([7]), in cuius vicinia incola pagi cuiusdam (La Schieggia) complures tabulas aeneas reperisse fertur, quae adhuc in urbis tabulario adservantur. Annum, quo repertae sint, a Conciolo ([8]) primo notatum reperio, neque, cur Passerius vulga-

---

([4]) Singula nomina xv populorum exhibentur in Inscr. ap. Gudium p. CXVII, 4. et in alia, quam edidit Franciarini in Opusc. Scientif. T. VII. (1732) p. 247: Amerini, Assisinates, Foro Flaminienses, Fulginates, Hispellates (ap. Gud. Hispellenses), Iguvini, Interamnates, Mevanates, Narnienses, Nucerini, Ocriculani, Spoletini, Trebiates, Tudertini, Vettonienses. Cf. Gud. p. DCLXXXII, 7. Commemorantur Umbriae *populi* iam a Livio (IX, 41. XXVIII, 45.). Quam divisionem ad occidentalem tantum terrae partem, non ad agrum quoque Gallicum spectare, apparet ex nominibus supra adscriptis, Niebuhrio (H. R. ed. III. T. I. p. 162.) licet aliter statuente. Sappinia *tribus* (Liv. IX, 41.) ad Sennones pertinuit, et *plaga* Materina (Liv. XXXI, 2.) fortasse non tam ad terrae, quam ad exercitus partitionem referenda.

([5]) *Paral. in Dempst.* p. 169.

([6]) Vide Muell. Etr. T. I. p. 242. et, qui confirmat Passerii sententiam, Reposati: Zecca di Gubbio T. I. p. 10.

([7]) Plura vide ap. Passer. Paral. p. 241 sqq.

([8]) Antonii Concioli annotationes in Statuta civitatis Eugubii. Maceratae. 1673. Repetit. in eiusd. Opp. 1729.

tam famam in dubium vocaverit, iustam perspicio caussam. Imo vero integra adiiciam verba Concioli, quippe qui omnium primus plura verba faciat de tabularum inventione, ac talia quidem, ut satis aegre in Passerii adducar sententiam, nonnisi vanas eas opiniones esse.

,,Iguvium, ait, regia sedes Umbriae fuit. Id confirmat praeter ea quae referuntur, etiam Regium sepulcrum (9), quod nomine Mausoleum, miroque constructum artificio temporum adhuc edacitati repugnat; confirmat veterrimum Theatrum (10): confirmant *novem* aheneae Tabulae, fama percelebres, ac litteris ac sententiis nemini cognitis exaratae, quae totius orbis, nedum Italiae antiquissima creduntur monumenta. *Anno* 1444 hasce Tabellas ex aere purissimo fortuna detexit in *subterranea Concameratione* miris emblematibus tessellata; quae quidem egregio picturatur artificio ut Regalis aulae specimen praebeat, apud Theatrum, hoc est in planitie, *ubi antiquitus sedebat Eugubium* (11). Atque illae notissimum sibi nomen compararunt apud eos, qui vetustate cognita delectantur, multique crediderunt, leges ibi caelatas esse primorum Regum. *Centesimus trigesimus*

---

(9) Vide Gudii Mus. Etr. T. III. Diss. II. c. III. p. 79-81. repraesentat. Cl. II. tab. IV. De alio Iguvinorum sepulcro vid. ibid. p. 99. in Diatribe Passerii, repraes. Cl. II. tab. XVIII.

(10) *Bibl. Italique* T. VII. Art. IV.: Plan de l'ancien Théatre d'Eugubio.

(11) Cf. Iacobilli Diss. dell' Umbr. in Vit. de' SS. di d. Provinc. T. I. p. 13. 562. Franciarini in Racc. d'opusc. scientif. T. VII. p. 63.

tertius agitur annus, ex quo illarum duae Venetiis in Armamentario Ducalis Palatii inter rarissima custodiuntur, tanquam pretiosa caligantis sed pulchrae antiquitatis monumenta, ac Tabulae Eugubinae vocantur. Delatae fuerunt in eam urbem a clarissimo viro, ut nobilibus eorum temporum Antiquariis traderentur interpretandae, et licet brevi remittendas fuisse promiserit, nec brevi, *nec ullo unquam tempore redierunt in societatem aliarum septem, quae in secreto Palatii Communis Archivio asservantur.*"

Haec Concioli verba, maximi sane, si tamen vera sunt, momenti, nullam, si quid video, scriptoris redolent fallaciam, neque vero deceptam credulitatem; imo, non obiter eum investigasse in Iguvii antiquitates, etiam reliqua illa praefatio alicui persuaserit. Bonarotae, docto subtilique homini, ubi multa disseruit de Tabulis Eugubinis ([12]), nihil eorum, quae Conciolo scripta refert, in suspicionem venit, quamquam et hunc accuratius in has res inquisivisse ex eius scriptis apparet. Nihil uterque aliique ([13]) multi harum rerum indagatores compertum habuerunt de solemnibus illis emtionis litteris, in secretiore tabulario ad hunc diem adservatis, unde Passerius, qui primus eas evulgavit, omnem fidem Conciolo derogandam esse existimavit. Quae res quum gravior nobis videatur, quam ut nostro iudicio soli confidere velimus, hoc emtum quoque quomodo a Passerio ([14]) vulgatum sit, integrum reddere liceat.

(12) In *Explicc. ad Dempst.* Etr. Reg. add. p. 102 sqq.
(13) Commemorat de iis Maffei Oss. Lett. T.V. p. 330.
(14) *Paral.* p. 244.

,,Ex Libro Reformationum Civitatis Eugubii ab anno 1453 ad 1457 p. 132.

Eisdem anno, Indictione, et Pontificatu, die vero 25. Augusti. Actum Eugubii in sala superiori Palatii Residentiae Magnificorum DD. Confalonerii, et Consulum dictae Civitatis, praesentibus Ser Petro Ferodi et Baptista Fulginen Lutii Testibus mihi Cancellario notis ad haec habitis, vocatis et rogatis.

Paulus Gregorii de Sig., habitator Eugubii per se, suos Haeredes et Successores et vice et nomine Presentinae Filiae olim Francisci Vici Maggi, et D. Angelae Uxoris d. Pauli, pro qua Presentina dictus Paulus de rato promisit etc. dedit, tradidit, vendidit, cessit et concessit Magnificis DD. Confalonerio et Consulibus dictae Civitatis et mihi Guerrerio Cancellario infra scripto recipientibus pro dicto Communi *Tabulas septem eburneas variis litteris scriptas, Latinis videlicet et Aegyptiis* ad habendum, tenendum et possidendum etc. et quod dicto Communi deinceps placuerit faciendum etc. Et hoc fecit dictus Paulus nominibus ut supra, quia praefati magnifici DD. et Antonius Guidutii Sindicus et Procurator dicti Communis substitutus a Francisco Nicolai, pro ut de dicta substitutione etc. dicitur apparere manu Ser Iacobi Matthaei de Urbino olim Cancellarii, cuius consensu, licentia et voluntate praefatorum Magnificorum DD. vendidit, tradidit, cessit et concessit, consignavit, assignavit, stabilivit et firmavit dicto Paulo accipienti pro se et vice et nomine Presentinae *Gabellam Montium et pascuorum communis dictae Civitatis Eugubinae* consentien. Vendi etiam eius *fructus, reditus*

et proventus pro biennio, proxime futuro, incoan. die prima mensis Ianuarii, *proximi futuri anno* 1457 etc. et hoc fecit dictus Antonius Sindicus ante dictus *pro pretio et nomine pretii dictarum Tabularum,* qui Antonius et Paulus nominibus ut supra fecerunt hinc indefinitionem, quietationem et pactum perpetuale de ulterius non petendo unus alteri, et alter alteri etc. renunciantes etc. ad poenam dupli etc. iuraverunt etc. promiserunt etc. obligaverunt etc."

Quam emtionem quum a. 1456 factam esse, eundemque tunc fuisse numerum tabularum comperiamus, quem adhuc servari scimus in secretiore Tabulario, iure Passerius Concioli opinionem explodere videtur, ex qua a. 1540 duae tabulae Venetias asportatae neque unquam redditae fuerint. At quamvis mihi non integrum sit iudicare, quatenus huic emtioni fides recte tribui possit — id enim iis relinquendum, qui scripturam ipsam possint examinare — id tamen iure aliquis miretur, qui fieri potuerit, ut tam insolenti tamque immoderato pretio has tabulas redimendas duxerit civitas Eugubina, tempore, quo nulla dum suspicio subvenerat, ad ipsas res veterum Iguvinorum eas pertinere, quo ne legere quidem potuerunt. Accedit autem, ut omittam, tabulas hasce „ex aere fusili ac deinde ad firmitatem malleato" constantes in illis litteris mire sane *eburneas* appellari, id quod, nisi scribae fuit error, qui *aheneas* legere debebat, alioquin explicari satis nequit: accedit igitur, quod reapse plures olim exstitisse tabulas, quam septem, et Passerius iam suspicatus est, et infra verisimile reddetur. Quodsi septem tabulae nulla

festinatione laesae, nulla vastatione aliave disturbatione contritae, fractae, dissipatae, sed in subterranea concameratione prope Iovis templum antiquum una repositae, integrae omnes et fere nitidae reperiuntur, nonne ut ad numerum quoque integrae reperiantur, res quasi ipsa flagitare videtur? Sed, ut diximus, incertam hanc rem relinquimus. Gratissimum sane faceret, qui ita de re decideret, ut, ubi terrarum illae duae tabulae etiamnum laterent, id exploratum indicaret.

Sunt etiam, qui *octo tabulas* repertas referant, ut Smetius, Gruterus, Merula. Quos quidem in errorem duxisse videtur tabulae tertiae Dempsterianae pars ea, quae Latinis litteris inscripta est ([15]), quam alii quippe diversam a reliqua tabula Etrusce scripta, octavam appellarunt tabulam, alii, ut ipse Gruterus, ad Eugubinas eam pertinere ne noverunt quidem. Et haec de inventione ac numero.

Exemplaria tabularum descripta compluribus in locis adservantur, quorum unum *Romae* ([16]) alterum *Cortonae* ([17]) adservari relatum lego.

---

(15) Minus enim probabile, quod Bourguet. Bibl. Ital. T. XIV. p. 2. suspicatus est, tabulam istam Faliscam inter Eugubinas numeratam esse, quam a Ligorio suppositam esse, manifeste demonstravit Olivieri in *Esame del Bronzo Lerpiriano*. Pesaro. 1771., Lanzio quidem in Saggio T. II. p. 538. leviter adhuc repugnante.

(16) Vide Muratori Nov. Thes. T. I. p. xxv. Olivieri l. l. p. xi.

(17) Vide *Saggi di Diss. Accad. Corton.* T. I. Praef. p. x.: Si possono vedere fin da quest' ora nel nobil *Museo posseduto dall' Accademia* fra etc. oltre un raro Esemplare delle citate *Tavole di Gubbio*, impresso nelle Originali medesime per cura del Sig. Capponi Fiorentino.

Memorasse autem de tabulis primus a Maffeio ([18]) dicitur Stephanus Cremonensis in Vita S.Ubaldi. Quem librum quum ipsi mihi inspicere non licuerit, statim pergo — ut taceam de epigrammate Iacobi Taurelli ([19]) — ad opusculum Augusti Steuchi ([20]) Eugubini, Episcopi Kisami, quod eo ipso anno 1540 in lucem editum est, quo duae tabulae Venetias missae feruntur. Sub finem huius libelli vetustatem urbis declarare dicit ,,Mausoleum extra moenia et Theatrum: tum *complures tabulas aeneas* repertas in agris, litteris incognitis incisas, quas hucusque legere potuerit nemo: tum *tegulas sepulcrorum* ([21]) *eisdem litteris impressas* ab aratore inventas.'' Aliorum his de rebus scripta, ut Gabriello Gabrielli Comitis ([22]), Sanctis Marmochini ([23]), Pyrrhi Ligorii ([24]) nunquam in vulgus edita videntur.

Iam igitur Smetius nominandus, qui a. 1565

---

(18) Maff. Oss. Lett. T.V. p.330.: Il primo libro che le nominasse fu *la Vita di S. Ubaldo*, data fuori *nel* 1520 dal Padre *Stefano di Cremona*, Canonico regolare, il quale *v' inserì ancora quel pezzo della terza tavola che incommincia Claverniur Dirsas.*

(19) Bonar. in Add. ad Dempst. Etr. Reg. p.102., qui ipsum exhibuit, ante a. 1540 id scriptum esse conclusionem facit inde, quod *septem* in eo dicuntur tabulae *Etruscis* notis exaratae.

(20) *De nomine Iguvii.* Lugduni. Repetit. in Opp. T.III. Par. 1577.

(21) Nihil, quod sciam, amplius de his tegulis innotuit.

(22) Floruit sub fin. saec. XV. cf. Racc. d'opusc. scientif. T.VII. p.63. et Bern. Bald. Divin. in Tab. Eugub. p.2.

(23) Floruit circa med. saec. XVI. et scripsit Dialogum lingua vernacula: *Defensione della lingua Toscana.* Vide Bonarot. p.29.

(24) Vide Muratori Nov. Thes. T.I. p.25.

absolvit Inscriptionum Antiquarum librum (25), quem postumum edidit I. Lipsius a. 1588. In huius fol. xxxviii. *b.* haec scripta leguntur:

,,Eugubii in Umbria repertae fuerunt ante aliquot annos tabulae *octo* aeneae; quarum una litteris, ut videtur, Graecis inversis, linguaque, ut quidem autumant, Aeolica. reliquae vero, litteris quidem Latinis, sed lingua, ut putatur, Hetrusca scriptae sunt. Prioris exemplum hoc est.'' Adiicitur tabula apud Dempsterum prima, Etruscis sed iis rudioribus litteris exarata. Deinde subsequitur prima Latina tabula, eaque rectius, quam a Bonarota disposita, his supra scriptis verbis: ,,Tabulas hasce ambas Iohannes Metellus Burgundus vidit et exscripsit, quas etsi nemo plane intelligit, quia tamen de rebus sacris agere quidem crediderunt, ideo hoc loco ponendas esse existimavi.'' Quas a Dempsterianis diversas exhibet lectiones, pleraeque nullam fidem habent.

Hae duae omnium primae in Germania evulgatae tabulae per saeculum integrum et dimidium solae fere innotuerunt, usquedum ad Dempsteri Etruriam Regalem pateret aditus. Repetiit easdem tabulas cum eadem Smetii adnotatione Gruterus in opere suo a. 1601 primum edito: *Inscriptiones antiquae tot. orb. Rom. in corpus absol. redactae ingenio ac cura I. Gruteri, auspic. I. Scaligeri ac M. Velseri.* Vol. II. p. cxlii. Subiungitur tamen p. cxlv. pars illa

(25) Inscriptionum Antiquarum quae passim per Europam liber. Accessit Auctarium a I. Lipsio. Lugd. Batav.

tabulae tertiae Latine scripta, cuius exemplum sibi adquisivit ex Bembi bibliotheca, non ex ipsa tabula, ut docent, quae adscripsit: „Praecedenti tabulae similis et ista, quae in Bembi bibliotheca Patavii." Nec meliorem harum rerum habuit notitiam P. Merula in Cosmographia (26), imo auget errorem, dum refert, unam ex tabulis Eugubinis litteris Etruscis, ceteras septem Latinis inscriptas esse. Exhibet deinde initium Etruscae tabulae, cuius vel litteras explicare studet, timidior tamen, ut ipse dicit. Subiungit denique priores versus Latinae tabulae.

Iam alterum ad finem vergebat saeculum, ex quo tabulae repertae, at nemo dum periculum fecerat unius tantum verbi explicandi. Quod Bernardinus Baldus aevi sui doctrina, ut ipse ait, indignum existimans, suscepit primus „*Divinationem in Tabulam aeneam Eugubinam lingua Hetrusca veteri perscriptam*," quam ad amicum M. Velserum missam, ille Augustae Vindelicorum a. 1613 edidit. Praemisso alphabeto Etrusco exhibetur ipsa tabula Etruscis, deinde Latinis litteris transscripta, cuius initium cum ipsa interpretatione Baldi adscribere liceat, quo lector ipse possit perspicere, cuius generis sit haec divinatio. Quae hodie sic leguntur:

Purtuvitu: erarunt: struhſlas: eskamitu: aveitu: inumek: tertiama: spanti: triia: tefra: prusekatu: eꟼek: supru:

eadem legit Baldus:

(26) Cosmographiae general. lib. tres etc. 1650. P. II. lib. IV. c. XIII.

Rudfucifu: edadunf: sfduoblas: eskamitu: aceifu: inumek: fedfiama: sranfi: fdiafegda: rdusekafu: epek: surdu:

et interpretatus est:

Rex noster: Dominus noster: sfduoblas: excitator noster: pater noster: et legislator: liberatrix nostra mater: Domina nostra: Fdiafegda: Contritionem nostram: educendo: propulsaverunt:

Nonne mireris cum Catone ([27]), quomodo horum haruspicum alius, quum alii obviam fieret, potuerit risum tenere? Post commentarium autem, qui singulas voces explicare studet, sub finem eiusdem libelli se cupere dicit Baldus noster aliquid in medium adducere de iis, quae ad tabulae historiam pertineant, sed quum ea obscurissima sint et *penitus* extra ipsius cognitionem posita, audacissimi se putare ingenii, quippiam ea de re *certi* profiteri.

Sequenti anno liber editus est Ypris Adriani Scrieckii: *Van 't Beghin der eerster Volcken van Europen, in-sonderheyt van den Oorspronck ende Saeken der Neder-Landren, XXIII Boecken etc. beschreven door Adriaen van Scrieck, heere van Rodorne. t' Ypre* 1614. *fol.* — In huius operis lib. I. p. 32. exhibet auctor alteram tabulam Latinam, cuius exemplum Parisiis olim se accepisse refert a viro quodam clarissimo, qui Roma attulerit. De Eugubinis tabulis nihil compertum habuit. In hoc vero monumento antiquissimam latere suspicatur linguam Belgicam, id quod demonstrat videlicet initio tabulae: *Suru-*

([27]) Cic. de divin. II, 24.

ront . pesnimumo . sururont . deitu . etaias . eno . prinuatur . simo . etuto . erafont . via . pora . benuso ., quod ita explicat ad verbum translatum: *Tsur uron wes nimon, tsur uron, tie doe iet aafs. In bring water. Tsie moedoet, er-af, und wyd voor wend-vus*, vel ut Belgae suo tempore pronuntiaverint: *Ter vren sy niemant, ter vren, die doe yet aefs. In bringe water. Indien mesdoet, hieraf, ende wyt voor wende vuyt* (Hac hora sit nemo, hac hora, qui faciat quid sinistri. Intro ferat aquas. Si male faxit, hinc deorsum, procul, forasque sese avertat). Sed vereor iam, ne prolixior fuerim in proferendis his ineptiis. Gratius sane fecerim, qui adiicere possim, accuratissime tamen tabulae exemplum exscriptum reperiri, ut, quae variantes lectiones vel levioris momenti deprehenduntur, eas diligenter notandas duxerim.

Thomas Dempsterus, qui iam a. 1619 praeclarum suum De Etruria Regali absolverat opus, noverat quidem nostras tabulas, easque commemorat in lib. I. c. xx., sed Etruscae linguae monumenta existimans ne syllabam quidem se intelligere profitetur. Annis demum 1723 et 1724 post integrum saeculum, ex quo scriptum fuit, hoc opus edendum curavit Thomas Coke sive Comes de Leicester et permultis Etruscorum monumentis accuratissime delineatis locupletavit Philippus Bonarota. Quod quum ab hoc ipso tempore omne Etruscarum litterarum studium novam quasi vim atque impetum cepisse videatur, huius rei non levissimam caussam praeter alias eam quoque exstitisse suspicor, quod inter illa, quae Bonarota exhibuit monumenta, etiam

Tabulae Eugubinae tandem aliquando omnes et universae suis quaeque litteris, iisque ad ipsum archetypum diligentissime expressis, in medium proferebantur. Quod me non temere credidisse, ii, puto, mihi concedent, qui sciunt, omnia fere, quaecunque de Etrusca litteratura atque lingua doctius indoctius deinceps disputata sunt, a Tabulis Eugubinis, tanquam a largissime scatente fonte, profecta atque repetita esse, ita ut historia tabularum iam facta paene videatur historia litterarum Etruscarum. — Quod vero ad fidem huius exempli attinet, affirmat ipse Bonarota, „archetypo similes diligenterque emendatas se exhibere tabulas, quum in omnibus, praeterquam in characterum magnitudine, formis quibusdam respondeant, super ipsis tabulis impressis, quas iamdiu ad ipsum transmiserit Bonaventuri, Montis Physconis Episcopus et novissime Mancinforte, Archiepiscopus Neapolitanus." Neque id ex vano gloriatus est, sed in rebus vel minutissimis ubique tale expertus sum hoc exemplum, quale ille promisit ([28]). Itaque maximae semper nobis erit auctoritatis. Quae in Additamento Bonarota de tabulis adnotat, non ita multa, sed apte et considerate dicta sunt. Ipse iam suspicatur, non Etruscorum, sed Umbrorum opus esse, acute animadvertens, nulla hic obversari, quae frequentia in Etruscis monumentis, verba in al desinentia. In al-

([28]) Maff. *Oss. Lett.* V. p. 331. „Quivi sono stampate cosi fedelmente, che il veder la stampa è quasi come veder gli originali. Felice lo studio dell' antichità, se tutti i monumenti fossero stati pubblicati con ugual diligenza. La forma delle lettere è perfettamente imitata, e si può dire, che non c' è quasi lettera in fallo."

phabeto constituendo nonnullos Baldi errores emendavit, et argumentum ([29]) ,,Communes cum populis finitimis pactiones'' putavit.

Hactenus Bonarota, qui (p. 101.) etiam Curtium Inghiramium ([30]) quippe in malae et deploratae caussae argumento erudite versatum laudat. Novit hic tabulam solam a B. Baldo editam, quem nihil in tabula intellexisse, neque quidquam ipsum se scire, facile poterat demonstrare.

Iam vero intra paucos annos prodierunt homines omni suae aetatis doctrina eruditissimi, Bourguetius, Gudius, Gorius, Olivierius, Maffeius, Passerius, Lamius, al., quorum omnium fere certamen exstitit in re, quae iam patriae magis quam litterarum caussa reddita videbatur.

Ex his Ludov. Bourguetius, tametsi permulta quae de argumento tabularum investigasse sibi visus est, prorsus vane fabulatus est, unum tamen primus vidit, unde vere novum cepit incrementum tabularum exploratio. Observavit nimirum, tabulis duabus Latine perscriptis unam Etruscarum respondere. Quarum comparatione facile erat cognoscere, quae Etruscis signis mirifice adhuc vexatis et perperam intellectis dignitas et pronuntiatio recte conveniret. Et quamvis non pauca sint, quae in alphabeto suo Etrusco emendanda aliis reliquerit, maxima tamen ex parte etiamnum rectum atque exploratum haberi potest. Tres his de rebus dissertationes inseruit operi, quod

([29]) p. 107.

([30]) Discorso di Curzio Inghirami sopra l' opposizioni fatte all' Antichità Toscane. Tratt. VII. Risp. 140. Flor. 1645. 8.

inscriptum est *Bibliothèque Italique ou Histoire Littéraire de l'Italie, primam* in T. III. (31), in qua tabulam Faliscam et tabulae Eugubinae tertiae (apud Dempst.) eam partem, quae Latinis litteris conspicitur, pertractat. Verba exhibet ad Gruteri exemplum, quum Dempsteri opus nondum in manibus teneret (32), et integra vertit Latine et Francogallice. In *altera* dissertatione T. XIV. (33), quae a. 1732 in lucem prodiit, explicationis, quam promiserat (34) Eugubinarum tabularum, primam iam exhibet partem, Gruterianam tabulam Latinam integra interpretatione nec paucis adnotationibus instruens. Pelasgorum hic invenisse sibi visus est in tabulis lamentationes, quibus illi duabus aetatibus ante bellum Troianum fortunam suam comploraverint, quum fame et peste omnique pernicie absumerentur, teste Dionysio (35). *Tertiam* denique dissertationem, quam a. 1733 de alphabeto Etrusco perscripsit, editam vides in T. XVIII. (36) (1734) eiusdem operis, quae quid sane expediverit, quum supra enarrarim, non est, quod diutius immorer, praesertim quum ipse satis ampla sui praedicatione defunctus alium quemque hoc munere liberasse videatur.

---

(31) Art. VIII: Lettres sur deux prétendues Inscriptions Etrusques à Ms. le Marquis Scipion Maffei à Vérone. 1728.

(32) Ibid. p. 202.

(33) Art. I.: Litanies Pélasges des Anciens Habitans de l'Italie. Première Partie, Avertissement touchant les Tables Eugubines.

(34) Tom. III. art. VIII. p. 200.

(35) Dionys. Halic. lib. I. c. 23.

(36) Art. I: Lettre sur l'Alphabet Etrusque à Ms. Ernest Comte de Harrach etc.

Vestigia premit Bourguetii Fr. Gorius in Museo Etrusco ([37]), quod ipsum initium capit a Tabulis Eugubinis. Repetit illam ,, Carminis lamentabilis'' historiolam ab amico prolatam, repetit illas captationes verborum similium e Graeca, variisque Orientalibus linguis conflatorum: unum tantum de suis addit, versibus hexametris haec lamenta perscripta esse ([38]). Verum emendat in paucis alphabetum Bourguetii ([39]) et praeterea — id quod nobis omnium gratissimum fecit — tabulam apud Dempsterum secundam profert ,, ex archetypo, charta epigraphice in eo diligenter impressa, desumtam, quam cum ipso communicavit Franc. Victorius et quam buxeae potius tabulae, quam aereae incidendum curavit diligenter, quia melius ita litteras archetypis simillimas repraesentari posse censuit.''

Bourguetii denique sententiam partim ut ingeniosissimam miratur, partim satis acute impugnat *Annibale degl'Abati Olivieri,* qui, postquam in T. I. Dissertationum Cortonensium ([40]), quae ille de alphabeto Etrusco scripsit, in linguam Italicam conversa repetiit, in T. II. ([41]) etiam priores duas Bourguetii dis-

---

(37) *Museum Etruscum, exhibens insignia Veterum Etruscorum monumenta aereis tabulis* CC, *nunc primum edita et illustrata observationibus* Antonii Francisci Gorii. Vol. I. Flor. 1737. cf. Vol. II. p. 403. seqq.

(38) p. 387.

(39) Cf. etiam, quam peculiarem edidit de eadem re Gorius dissertationem: *Difesa dell' Alfabeto Etrusco.* 1742.

(40) *Saggi di Dissertazioni Accademiche* etc. *di Cortona.* T. I. *in Roma.* 1742.

(41) *Saggi* etc. T. II. *in Roma.* 1738. Diss. I. di Annibale d. A.

sertationes Italice redditas inseruit, cum sua tamen adnotatione, in qua quum alia Bourguetio prolata emendet, primus ([42]) etiam vidit, comparato numo Iguvinorum, quem apud Dempsterum ([43]) repraesentatum vides, vocem in tabulis frequentissimam: Ikuvina, Iiovina non cum Bourguetio explicandam esse: *iuventus*, sed ad ipsam urbem Iguvinorum spectare, ita ut iam non amplius Eugubinae, sed Iguvinae appellari potuerint tabulae.

Longe severiore ingenio accedit ad rem Maffeius in Observationibus Litterariis ([44]), qui acerrimis sane, neque vero iniquis armis impugnat illas Bourguetii, Gorii inficetas hariolationes, permultaque disputat, unde vere criticum eum cognoscere possis.

Paucis annis post subsecutus est Io. Lamius, de quo, quum Litteras eius Gualfondianas ([45]) a. 1742 in lucem editas ipsi mihi inspiciendi copia non fuerit, relegasse iuvabit ad Lanzium ([46]), qui hunc librum iudicat ,,un opera fatta per giuoco; ma che contiene ottime riflessioni e ingegnosissimi raziocinj su la lingua etrusca."

Maiorem adsecuta sunt celebritatem atque auctoritatem, quae nostra in caussa satis copiosus pro-

---

Olivieri *sopra alcuni monumenti Pelasgi diretta al Sig. Marcello Franciarini. Pesaro.* 1735.

(42) p. 17.

(43) *Etr. Reg.* tab. LIX, 4.

(44) *Osservazioni Letterarie, che possono servir di Continuazione al Giornal de' Letterati d' Italia.* T. V. *in Verona* 1739. T. VI. ibid. 1740. Vide inprimis T. VI. p. 85. seqq.

(45) *Lettere Gualfondiane del Signor* Clemente Bini. 1742.

(46) *Saggio di Lingua Etr.* T. I. p. 11. 13.

tulit Passerius, iure, si dicendum, quod sentimus, prorsus nullo. Primum se adcinxerat ad tabulas interpretandas in *Litteris Roncaliensibus* (47), in quibus post Bonarotam secundus exhibuit universas tabulas, neque vero suis quamque litteris, sed quoad legere poterat, vel non poterat, litteris omnes Latinis. In dispositione tabularum profecit Bourguetii (48) observatione de rectius disponendis tabulis IV. et VI. Adiunxit (49) recensum verborum in Tabulis Eugubinis repertorum, recte perspiciens, quantae his studiis esse possit utilitatis. Simul vero omnem suo labori subduxit utilitatem, qui neque ad unum omnia notaverit vocabula, neque eorum, quae protulit, omnes locos, ne dicam de permultis vocabulis aut perperam lectis aut non recte divisis. Repetit tabularum exemplar, in paucis quibusdam emendatius, in *Paralipomenis* (50), quae praeter peculiaria quaedam capita (51), perpetuum omnium tabularum commentarium exhibent. Accedit autem haec interpre-

---

(47) Raccolta d' opuscoli scientifici e filologici (quam edid. D. Angiolo Calogerà) T. XXVI. in Venezia. 1742. p. 237-394. *Continuazione delle Lettere Roncagliesi di* Giovanbattista Passeri, scritte dalla sua Villa di Roncaglia al Sig. Ann. d. Ab. Olivieri, nelle quali si spiegono parecchi passi degli Indigamenti Pontificali degli Antichi Iguvini, detti communemente Le Tavole Eugubine. Lettere XIII. XIV.

(48) Bibl. Ital. T. XIV. p. 20.

(49) p. 289-344. Paral. p. 323-331.

(50) Io. Baptistae Passerii *in Thomae Dempsteri libros de Etruria Regali Paralipomena. Lucae.* 1767. p. 239-331.

(51) p. 249: *De Diis et Sacrificiis Iguvinorum.* p. 256: *De Magistratibus et Sacerdotiis primitivae reipublicae Iguvinorum.*

tandi ratio prorsus ad eam, quam Bourguetius, Gorius, Lamius adhibuerunt, nisi quod Latinae magis favet etymologiae, Maffeii hac quidem in re, ut videtur, obsecutus monitis.

Eandem denique, quam Lamius interpretatus erat tabulam, repetiit etiam Bardettius (52) suam ipsius adiiciens praeterea interpretationem, qua id potissimum evicisse sibi videtur, nihil his in rebus proficere posse, nisi qui Gallicae Germanicaeque linguae sufficientem sibi comparaverit scientiam.

Ludovicus Lanzius (53), ut omnes, quicunque ante ipsum his in studiis operam aliquam collocaverunt, summa pariter doctrina atque ingenio haud vulgari multum sane superat, ita, qua etiam modestia et promissorum moderatione fuit, ipse in principio (54) operis sui, merito celebratissimi, ingenue profitetur, se hunc librum scribere, non quo se speret Etruscam linguam ab omni parte illustraturum esse, sed ut conferat ad hunc finem monumentorum plenissimo recensu et quantum fieri possit, accuratissima descriptione. Qua promissione eum non plus in se recepisse, quam praestitisse, nemo, puto, erit, quin lubenter confirmet. Quodsi nihilo minus tamen saepenumero etiam plus praestare tentavit, quam recte promiserat, temporis potius illius

(52) *Della Lingua de' primi abitatori dell' Italia, opera postuma* del Padre Stanislao Bardetti. *in Modena.* 1772. pag. 254 - 284.

(53) *Saggio di Lingua Etrusca e di altre antiche d' Italia.* T. I. II. in Roma. 1789.

(54) p. 3. cf. p. 770: Questa è la raccolta, in cui, torno a ripetere, sta il maggior pregio del mio libro.

ingenio, quam viro studiosissimo imputandum opinor. De tabulis Eugubinis compluribus in locis considerate disseruit, et quae prolixior ea de re dissertatio totius operis finem facit, partes etiam tabularum ipsarum suis quamque litteris exhibet.

Novam ex eo tempore lucem acceperunt linguarum origines atque naturae, viri exstiterunt, qui quum omni doctrinae, tum linguarum maxime perscrutationi novum idque honestius stadium aperuerunt, quam quod praeteriti saeculi vel principibus apertum fuit. Utinam quod magni atque praeclari hac in rerum conversione vertitur, id non prorsus me fugisse intelligentioribus videatur, quum hanc mihi rem et ea, qua apparebit, ratione tractandam proponerem.

DE LITTERATURA UMBRORUM UNIVERSA.

Quum duplicem exhibeant litteraturam, quae ad nostram aetatem pervenerunt Umbrorum monumenta, Latinam altera, altera eam, quam Etruscam appellant, inde maxime in disputatione nostra exordiendum videtur, ut inquiramus, quae sit utriusque litteraturae ratio atque dignitas, utrum alterutra Umbris fuerit magis propria, usitatior, antiquior, vel ad pronuntiationem ipsorum aptior, an eodem tempore

idem valuerit utraque. Tabularum nostrarum quinque Etruscis litteris inscriptae sunt, duae eaeque maximae Latinis, quas etiam nonnulli versus exhibent, qui uni ex Etruscis tabulis adiuncti sunt. Aliarum quoque breviorum inscriptionum Umbricae, ut videtur, linguae, scriptura est Latina, Etrusca vero plurimorum numorum. Quam quidem litteraturae varietatem, ut non in Umbricis tantum, sed in Oscis quoque atque vel ipsis in Etruscis (55) monumentis reperitur, ita facile perspicitur, nedum Etruscos, sed etiam Oscos Latina litteratura quasi secundaria usos esse. At quamvis vel linguae reperiantur nonnullae discrepantiae inter monumenta Etrusce atque Latine scripta, nullam tamen hucusque ab aliis prolatam cognovi sententiam de caussis, ex quibus modo hanc modo alteram litteraturam veteres maluerint adhibere, sed miro modo omnis generis inscriptiones commixtae, eademque omnes ratione admissae sunt in enucleanda harum linguarum natura. Qua in re si vel magnorum nominum auctoritatibus obniti visus, novam iam sententiam audeo proferre, eo diligentius haec mihi probanda erit, ut lectoribus eam persuadeam, quo maioris per omnem hanc disputationem erit momenti.

Tria sunt, quae in omnibus Italiae monumentis examinandis a quovis tenenda puto, *primum*, Etruscas inscriptiones semper vetustiores habendas esse, quam Latinas, siquidem eodem profectae sint loco: *deinde*, Etruscam quam dicunt litteraturam diverso-

---

(55) Vide Lanz. *Sagg.* I. p. 168. sqq.

rum Italiae populorum iis omnibus aeque atque ipsis Etruscis fuisse propriam et quasi nativam: *denique*, quam inter Etrusce atque Latine scripta eiusdem populi monumenta deprehendas diversitatem litterarum, non litteraturae tantum, sed linguae esse.

I. Per totam fere Italiam reperitur litteratura, quae pariter a Romana differt atque a vulgari Graecorum, quam quum potissimum quidem in Etrusca terra et in Etruscis adhibitam viderent monumentis, Etruscam appellaverunt: quin putaverunt, solis Etruscis eam propriam fuisse, ab hisque propagatam deinde ad ceteros quosque Italiae populos. Ita factum esse, ut neque Umbris, neque Oscis litteratura praesto esset, qua linguae suae sonos possent omnes et integros signis repraesentare, eam enim, quam ab Etruscis mutuassent, non suffecisse.

Idem procul dubio de Romanis monumentis iudicarent, si quae restarent e primis civitatis temporibus. Qualis enim, nisi Etrusca, Romanorum fuisse potest litteratura ante finem tertii ab Urbe condita saeculi, quo tempore scripturam postea Romae vulgatam maxima quidem ex parte a Magna Graecia profectam esse satis est probabile. (56) An quod Dionysius (57) columnam Servii Tullii inscriptam fuisse

(56) **Vide Muell.** ***Etr.*** **II. p. 311.**

(57) **Lib. IV. c. 26:** Ταῦτ᾽ ἐδίδασκεν αὐτοὺς, ὡς χρὴ Λατίνους μὲν τῶν προσοίκων ἄρχειν καὶ τὰ δίκαια πράττειν, Ἕλληνας ὄντας, βαρβάροις.... Ἵνα δὲ μηδεὶς χρόνος αὐτοὺς ἀφανίσῃ, στήλην κατασκευάσας χαλκῆν, ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνεδρίοις καὶ τὰς μετασχούσας τῆς συνόδου πόλεις· αὕτη διέμεινεν ἡ στήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ κειμένη, γραμμάτων ἔχουσα

refert litterarum formis Graecarum, sibi aliquis persuadebit, Graecam fuisse? At qualis litteratis temporibus in usu fuit Graeciae, fuisse nequit, atque inter veterrimas Graeciae litteras Etruscasque tanta intercessit similitudo, ut quas Etruscas in columna perscriptas videret, vel docte posset Dionysius Graecas appellare, nimirum *οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρᾶτο*, ut ipse addit — studuit enim illo in loco, quod totius fere operis fuit consilium, ut Romanos Graeca fuisse origine probaret, quod iam novo litteraturae argumento fulcire sibi videtur —. Id ipsum igitur, quod de Graecis antiquae Romae litteris hic nobis refert, nostram mirum quantum confirmat sententiam (58). Adde quod Plinius (59) de vetustissima ilice in Vaticano commemorat, in qua titulus aereis litteris Etruscis religione arborem iam tum dignam fuisse significet. Quid? quod de Romana sui temporis litteratura idem Plinius (60) et Tacitus (61) notant, ad veterrimam Graecam eam accedere: in quo non omnino reprehendendos duxerim, quum litterae D et V et F et ⊢ revera tantum in antiquissimis Graecorum monumentis reperiantur. Tametsi igitur

---

χαρακτῆρας Ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν ἡ Ἑλλὰς ἐχρᾶτο. ὃ καὶ αὐτὸ ποιήσαιτ' ἄν τις οὐ μικρὸν τεκμήριον τοῦ μὴ βαρβάρους εἶναι τοὺς οἰκίσαντας τὴν Ῥώμην· οὐ γὰρ ἂν Ἑλληνικοῖς ἐχρῶντο γράμμασιν ὄντες βάρβαροι.

(58) Verum iusto plus verbis Livii VII, 3. Polyb. III, 22. Plin. H. N. XXXV, 23. tribuit hac in re Swinton in Diss. de priscis Romanor. litteris. Oxon. 1746. p. 1-5.

(59) H. N. XVI, 87.

(60) H. N. VII, 58.

(61) Annal. XI, 14.

concedo, scripturam Romanam tempore supra dicto eam, quam postea videmus speciem induisse, Graeciae inprimis adpulsu, idem tamen contendo, exstitisse iam litteraturam, ad quam Graeca potuerit aptari (62), quam Etruscam possis eodem iure appellare, quo Umbrorum Oscorumque: neque tamen ipsam eam fuisse Etruscorum litteraturam, quae neque *d* neque *q* neque *b* aliasque Romanae linguae noverat litteras, sed simillimam tantum Etruscae pariter atque veterrimae Graecae: verum etiam scripturam sinistrorsum versam fuisse, ut apud ceteros Italiae populos et veterrimos Graecos, cuius exemplum haud scio an proferri possit numus, quem Swintonius (63) vulgavit, cuius altera in parte Gorgoneum quasi caput, in altera res depicta est, quam Muel-

---

(62) Nonnullae litterae in antiquissimis Romanorum inscriptionibus magis accedunt ad Etruscas, quam in recentioribus. Vide Lanz. T. I. tab. II. In monumentis Scipionis Barbati, filiique Barbati 𐌋 (*l*) scribitur, in sequentibus huius gentis sepulcris L; 𐌋 etiam vides Lanz. tab. II. n. 11. 12. 14. Litteram *p* (Etr. 𐌐, 𐌐) repraesentant P tum tabulae Eugubinae, tum omnes fere apud Lanzium tabulae II. inscriptiones, Γ n. 14. ∩ (*a*) n. 11. Λ n. 13. et in antiquissimis numis, A T. II. tab. XII. n. 2. 6. cf. Swint. *De prisc. Rom. litt.* p. 10. Quod vero idem l. l. de *r* littera olim non *r* sed *d scripta* concludit ex Prisciani (p. 551.) verbis: „saepe *d* scribentes Latini hanc *r* littera exprimunt sono, ut medidies, hodie meridies" rectius debebat intelligere.

(63) *Philos. Trans.* 1771. p. 87. 92. tab. 3. n. 5. — Cautius tamen proferendi sunt Swintonii numi, quum saepissime descripserit, quos praeter ipsum nemo usquam vidit. Ita solus vidit numum cum inscriptione VITE𐌋IVD, quae ceteris in omnibus legitur VIVƎT⊢Ↄ. cf. quae de aliis eius numis iudicat Eckh. I. p. 265.

lerus (64) proram agnoscit et litterae ΛMVq; rectius quidem huc refertur speculum, quod Lanzius (65) repraesentavit, in quo retrogrado cursu litterarum legitur ƧOIЯVϘЯIM et MOЯTИƎXIΛA (66), atque

(64) *Etr.* I. p. 308. not. 114. Etruscam hanc putat urbis Romae significationem.

(65) *Saggio* T. II. tab. XII. n. 2. cf. Müll. *Etr.* T. II. p. 74.

(66) Eadem hic observatur legendi difficultas, quae compluribus in aliis numis. Notissima ponderis aenei est inscriptio ROMANOM, quam Eckhel, Lanzi, al. legunt *Romanom* i. q. *Romanorum*, Mueller. *Etr.* I. p. 34. ad exemplum frequentium inscriptionum Graecarum in *-os* desinentium *Romanos*, i. q. *Romanus* (int. numus), ita ut signum M in medio verbo significet litteram *m*, in fine *s*. Tulerit aliquis, si ponitur, formam S nondum in usu fuisse, atque hanc ob caussam unum signum M duabus litteris inserviisse: constat enim, apud Etruscos Graecosque antiquissimos hanc scriptam esse *s* litterae formam. Atvero haec sententia aliis reprobatur numis, in quorum altera parte conspicitur VOLCANOM, quam ἐπιγραφὴν Muellerus legit: *Volcanos*, in altera AISERNINO, quo docemur, formam S iam innotuisse (vide Combe *Mus. Brit.* p. 19. Mionn. *Descr.* I. p. 107. Avellin. *Ital. vet. num. Distr.* II. p. 17. Perperam sane repraesentat Pellerin. *Rec.* II. pl. VII. n. 2: VOLKANON-AIΣERNINO cf. Avell. *Giorn. Num.* n. III. p. 33. sqq.) Iam vero aliquis putaverit (Müll. l. l. n. 70.) *s* litterae signum M retentum esse in syllabis finalibus maxime. Is tamen videat nostrum speculum, in quo scribitur MirqurioS et AlixentroM. Qua intricatiore in caussa, quum nihil ausim decernere, Niebuhrio tamen assentire non possum, qui in H. R. T. I. p. 79. not. 218. ed. III. *Romanom* et *Lucanom* genitivos pluralis numeri esse putat, cuius nominativi sint *Romas*, *Lucas*. Quae quidem formae, si quando exstitissent, genitivum casum formare debebant *Romatis*, *Lucatis*. Verisimilius mihi videtur, genitivos esse a Nominativis *Romanus*, *Lucanus*, quum terminatio in *-om* pro *-orum* inprimis in populorum, numorum, mensurarum aliisque huiusmodi nominibus quasi haereditate acceptis retineri soleat (cf. Cic. *Or.* c. 46. Schneid. *Gr. L.* II, 1. p. 23. 69.) Satius

alterum apud Lanzium (67), in quo legitur: IVNO, IOVEI et ƎꓶƎƆЯƎH. Quodsi vel Romae olim Etrusca valuit litteratura (si licet nostrum sensum huic verbo subiicere), dubium esse non potest, quin apud reliquos quoque Italiae populos Etrusca fuerit antiquior, Latina postero demum tempore ab his adhibita sit, Graecorum Romanorumque inprimis potentia atque eruditione magis magisque per Italiam invalescente.

II. At si quis propterea, quod aliquando tota Italia utebatur litteratura, quae ad Etruscam proxime accedebat, porro contendit, totam Italiam ab Etruscis eam mutuatam esse, praepropere is mihi agere videtur. Etenim Etruscae ipsi pronuntiationi Etruscam litteraturam fuisse convenientissimam, litterasque *o*, *b*, *d*, *g*, *q*, al. eos neque scripsisse neque pronuntiasse, omnes pro certo habent, tum quod inscriptiones non exhibent, tum quod veteres (68) quoque ipsi referunt. Umbri, aiunt, qui

---

quidem agere videmur, si in Latinis et Oscis inscriptionibus ubique M signum per *m* litteram pronuntiamus; infra enim videbimus, neque Latinam, neque Oscam litteraturam *s* litterae M signum unquam habuisse. Quod vero suae caussae argumentum sibi petiisse videtur Muellerus ex Oscis numorum inscriptionibus desinentibus in *-or* vel *-ur*, quae cum aliis tantum possint alternare in *-os* vel *-us*, de ea quoque re quid iudicandum sit, alio loco demonstrabimus.

(67) *Saggio* T. II. tab. x. n. 3.

(68) *Prisc.* I. p. 553: Etruscos non *o* litteram habuisse. Plin. *H. N.* III, 16: Oppidi Tuscorum *Atriae*, a quo *Atriaticum* mare ante adpellabatur, quod nunc *Adriaticum*. Varro *L. L.* 5, 4: *Eidus* ab eo, quod Tusci *Itus*, vel potius quod Sabini *Eidus* dicunt. Macrob. *Sat.* I, 15. *Iduum* nomen a Tuscis, apud quos is dies *Itis* vocatur.

hanc litteraturam in suum usum convertebant, eas litteras, quas non pronuntiabant, ut ↓ (*ch*), non recipiebant, quas signatas non reperiebant, ut *o*, *d*, *g*, *q*, recipere non poterant, itaque non exprimebant — Quid? annon in tabulis Eugubinis delineatam deprehendimus litteram 8? annon reperimus litteras d (*ʃ*) et ꟼ (*rs*), quas Etrusci, quoniam non pronuntiabant, non scribebant? In tabula quinta litterae *m* usurpatur signum Λ, quod, quantum ego scio, alias nusquam reperitur. Cur tandem, si nonnullas litteras de suis addiderunt ad Etruscam non sufficientem litteraturam, ceteras exprimere non lubebat, quas pronuntiasse eos Latine scripta monumenta manifeste scilicet demonstrant? praesertim, quum litteras *o*, *d*, *q* in Latina iam litteratura repperirent expressas, litteras d et ꟼ, ut videtur, nusquam. Pariter Osci plures etiam litteras, vel formas litterarum addiderunt, alias, quamvis in Latinis Oscae linguae inscriptionibus reperias, non addiderunt. Latini denique, si, quae supra diximus, vera sunt, litteras *b*, *d*, *q*, al. habuerunt, priusquam novam sibi adsciverunt litteraturam.

Quid? quod vel traditur a veteribus, Aborigines alio et multo quidem vetustiore tempore, quam ipsos Etruscos, litteraturam a Graecia accepisse. Haec enim Tacitus (69): ,,At in Italia Etrusci ab Corinthio Demarato, Aborigines Arcade ab Evandro didicerunt: et forma litteris Latinis, quae veterrimis Graecorum.'' Quo tandem refugerunt hae Abori-

(69) *Annal.* XI, 14.

ginum litterae, quum omnes scilicet Italiae populi ab Etruscis instruerentur litteratura? Quidni putemus, litteras Romanorum *d* et *q* et alias antiquiores esse, quam omnem Etruscorum litteraturam? Neutri tamen ex his de Demarato deque Evandro narrationibus tantum momenti tribuere in animo est, quantum alteri de Demarato consueverunt hucusque tribuere. Id modo utrique veri subesse suspicor, exstitisse a principio arctam aliquam coniunctionem inter Graecam Italicasque scripturas, qualem fere inter ipsas quoque linguas statuas. Quam ut linguarum cognationem alio loco ad Pelasgos revocari posse dicemus, quippe quos pari iure Italiae atque Graeciae habere liceat primos habitatores, ita scripturarum quoque consensum si quis Pelasgorum nomine vult explicare, non video, quid obstet. Nam in hoc etiam ceterae, quas novi, omnes consentiunt de litterarum invectione narrationes, quum non *ad Etruscos*, sed *in Italiam* allatam esse dicant litteraturam. Dionysius enim (lib. I. c. 21.) refert: λέγονται δὲ καὶ γραμμάτων Ἑλληνικῶν χρῆσιν εἰς Ἰταλίαν πρῶτοι διακομίσαι νεωστὶ φανεῖσαν Ἀρκάσι. Hyginus (fab. 277.): ,,Has autem Graecas (litteras) Mercurius in Aegyptum primus detulisse dicitur, ex Aegypto Cadmus in Graeciam, quas Evandrus profugus ex Arcadia *in Italiam* transtulit, quas mater eius Carmenta *in Latinas commutavit XV.*'' Plinius (H. N. VII, 56.): ,,*In Latium* eas intulerunt *Pelasgi.*'' Maximus Victorinus (A. Gr. p. 1944.): ,,Hae autore Evandro, ut quidam volunt, alii vero Hercule *in Italiam* a Pelasgis allatae sunt.'' Marius Victorinus (A. Gr. lib. I. p. 2468.): ,,Reperto-

res litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam et Evander *ad nos* transtulerunt." — Nihil igitur de peculiari Etruscorum adeptione litteraturae memoratur, nisi in illo Taciti loco, qui Etruscis alio quidem, sed multo posteriore tempore litteraturam allatam refert, quam aliis Italiae populis.

III. Atvero exstant certe Umbrorum, Oscorum, atque vel Etruscorum monumenta Latine scripta, in quibus, quas Etrusce scripta non exhibent litteras, haud raro inveniuntur: neque quemquam fugere potest, non esse scripturae supervacanea tantum signa, sed etiam in pronuntiatione usurpatas litteras, quum certis legibus teneantur. — Itaque pronuntiatio olim fuit alia atque postea. Et quid tandem impedit, quominus credamus, Umbrorum aliquando non scripturam tantum, sed etiam linguam non *o*, non *g*, non alias admisisse litteras? An talis conversionis linguae, qua subtiliora pronuntiationis discrimina vel abiecerit, vel receperit, desunt omnia Grammaticorum testimonia, vel aliarum linguarum exempla, vel ipsorum denique monumentorum indicia? Agedum videamus hac de re.

1) Quem supra iam adduximus Prisciani locum de *o* littera Etruscis inusitata, integrum iam afferamus: ,,*O* aliquot Italiae civitates, ait, teste Plinio, non habebant, sed loco eius ponebant V, et *maxime Umbri* et Thusci." *Inter alios igitur populos* disertis verbis hic maxime notantur *Umbri* et Thusci, qui *O* litteram non admiserint. Quae quidem Plinii observatio, quum ad eam Umbrorum dialectum, qualem in Latine scriptis tabulis reperimus, non conveniat,

tantum ad ea tempora referri potest, quibus ceterae inscribebantur tabulae.

2) Quod autem Plinius de *o* littera aliquot Italiae populis inusitata commemorat, id magna ex parte olim praeter *o* in medias quoque litteras non tantum apud aliquot populos, sed per totam fere Italiam valuisse, mihi est verisimile.

Et in Romana lingua — de Osca enim monumenta testantur — *o* littera, si omnino a principio exstitit, parcius tamen adhibebatur. Quod ne quis statim reprobari putet multis verbis, quae olim cum *o*, postea cum *u* littera scripta a Grammaticis referuntur: satis est in memoriam reduxisse, quam diversum ab aliis linguis Romana perfecerit cursum in eo, quod, quum delapsa iam fuerit in pronuntiationis, ut ita dicam, negligentiam quandam et rusticitatem: iam ingeniorum omnino maiore cultura invalescente, et inprimis cognitione atque vel sola vicinitate linguae Graecae ad summam subtilitatem absolutionemque perductae quasi admonita, ad maiorem formarum integritatem terminationumque ubertatem redire tentavit, exemplar plerumque aptissimum sibi proponens Graecam ipsam linguam. Ita factum est, ut quae fere evanuerant tum e scriptura tum ex ore litterae finales *s*, *m*, *e*, al., suam rursus vindicarent dignitatem, multaeque contractiones rursus solverentur (70). Verum qui potuit aliter fieri,

(70) Monumenta Scipionum saepe omittunt litteras *s* et *m* etiam ante consonantes: *Samnio*, *duonoro*, *Scipione*, *Corsica*, *Cornelio*, al. In versibus Hexametris Ennii et Lucilii, in comicis tragicisque fabulis littera *s* post *u* et *i*, si positionem efficeret, saepe omitti-

quam ut in hoc quasi patrocinio Graecarum litterarum alia quoque, quae externae Latini sermonis speciei facile aptari poterant, ab illis reciperentur? Quamvis igitur pro certo non ausim affirmare, *o* litteram Latinos de Graeca demum pronuntiatione adscivisse et primis temporibus ad morem ceterorum Italiae populorum *u* tantum vocalem pronuntiasse: id quidem apparet, multo frequentiorem fuisse *u* litterae usum in Romana, quam in Graeca lingua. Propria enim et usitata terminatio secundae declinationis fuit *-us*, *-um* (*ος*, *ον*), gen. pl. *-um* (*-ων*), permulta vocabula, ut *Ulysses*, *amurca*, *purpura*, *uncus*, al. in Graeca lingua cum *o* pronuntiabantur

---

tur, itemque adhuc a Cicerone in Arati versione, quamvis postea (*Orat.* c. 48. §. 161.) ipse dicit, iam subrusticum videri, olim autem politius (cf. Schneider *Gr. L.* I, 1. p. 347.). Catullus igitur semel tantum adhibet. Sermo vero rusticus retinuit, ut posteriores demonstrant inscriptiones (cf. Struve *De Latin. Declin. et Coniug.* p. 27. Schneid. I, 1. p. 351.). De syllabis finalibus in verbis: *populus*, *periculum*, al. pro vetustioribus: *poplus*, *periclum*, quibus adhuc Plautus usus est, et de formis *vehemens*, *prehendo* pro *vemens*, *prendo* vide alio loco. Augustus etiam *calidum* dicere pro *caldum* odiosum iudicabat et *περίεργον*, teste Quintil. Instit. I, 6. Tamen postea magis increbuit, sed *calda aqua* (*θέρμιον*) retinebatur. Vid. Forcellini. Genitivus sg. *-ii* usque ad Augustum fuit *-i*; quintae declinationis genitivum et dativum casum olim dixerunt: *die*, et adhuc Caesar in genitivo quidem probavit *-e* pro *-ei* (Schneid. II. p. 355.) Ita secundae declinationis genitivus pl. olim omnibus in vocabulis *-um* formabatur, postea fere ubique *-orum*; sed in certis quibusdam usitatis verbis Cicero adhuc retinuit, deque iis, qui secus facerent (*Orat.* 46. 155.) dixit: „A quibusdam sero iam emendatur antiquitas." Inde satis elucebunt, quae de Latinae linguae quasi inverso cursu dixi.

(Ὀδύσσευς; ἀμόργη, πορφύρα, ὄγκος cf. Schneid. I. 1. p. 27.). Ipsum urbis Romae nomen rectius profecto a *ruma* i. e. mamma, quam a Graeco ῥώμη (71) derivatur. Ex Prisciani l. l. scimus, veteres etiam *cungrum, huminem, funtes, frundes*, al. dixisse, ,,quae tamen a iunioribus repudiata sint, quasi *rustico more* dicta". Et in rustico quidem ore notum est, plerumque veram linguae inclinationem perspici; quam ob caussam haud puto, alteram quoque inversionem litterae *o*, quae postea *u* scribebatur, rure repertam fuisse. Pluries etiam Romae scriptam quam dictam suspicor *o* litteram, quoniam quae in usum publicum atque solemnem scriberentur, politiorem quandam et elegantiorem exhibere debebant scripturam, cui Graeca *o* littera magis convenire videbatur. Idem etiam Vel. Longus innuere videtur, qui (p. 2216.) scribit: ,,Apud nos quoque ostendunt antiqui, quia aeque confusas litteras *o* et *u* habuere, nam *consol scribebant* per *o*, quum *legeretur per u* consul. Unde in multis etiam nominibus variae sunt scripturae, ut *fontes* et *funtes*, *frondes* et *frundes*". Quae vero cunque veteris novimus latinitatis, de publicis desumta sunt monumentis, quorum veterrima paucis tantum annis antequam Livius Andronicus Graecus primum prodiit, perscripta sunt. Sin vero statim ab initio *o* litteram pronuntiabant Romani, tum quidem contenderim, signum quoque huius litterae eos habuisse vel ante tertium ab Urbe saeculum.

---

(71) Swint. *Diss. de prisc. R. L.* p. 7. Schlegel *Heidelberg. Jahrb.* 1816. Nr. 55.

Ad medias litteras quod attinet, satis constat, Etruscos eas non habuisse. Umbrica quoque monumenta Etruscis litteris inscripta *d* et *g* nusquam, *b* nonnisi raro exhibent, et ita quidem, ut vel his paucis in verbis interdum alternet cum *p* ([72]), nec pauca sint verba, quae in Latinis tabulis *b* admittant, nondum in Etruscis ([73]).

In Osca quoque litteratura reperitur 8 (*b*), et Latine scripta. Oscorum monumenta abundant etiam *d* littera (D), cuius signum inversum (ᗡ vel ◁) in monumentis Osce scriptis, ut apud Etruscos Umbrosque, non *d* sed *r* litteram significare, notum est. Respondet autem in illis monumentis *d* litterae signum Я, ut infra demonstrabimus, quod quum in Romana litteratura litteram caninam exprimeret, in Osca litterae signum fuit, quae procul dubio ad pronuntiationem similis fuit Latinorum *d* litterae. Sed plura de hac re suo loco. Quod vero Muellerus ([74]) iam suspicatus est, signum > vel Ɔ *g* litteram significare, id prorsus confirmandum videtur. Hoc enim evincunt inscriptio Abellana, in qua saepissime K reperitur, interdum vero C ([75]), et quidem ter in

---

(72) tab. I. l. 27: *habina.* 24: *hapinaf.* 33: *hapinaru.*

(73) *apruf, rupinie, krapuvi, kupifiatu,* in tabb. Latin.: *abrof, rubine, grabovie, combifiatu.*

(74) *Etr.* II. p. 314. not. 93.

(75) In monumentis etiam vere Etruscis reperitur ꓘ et Ɔ, sed ita, ut illud signum antiquioribus, hoc iunioribus tantum inscriptionibus vindicandum videatur, eiusdem utrumque significationis; nunquam enim reperies in eadem inscriptione ambo signa, sed ꓘ in paucis, quae et aliis de caussis vetustiores videntur, Ɔ in longe plurimis et amplissimis, ut in Perusinis.

verbo ⊦>Aᛇ⌇, ter in ЯVПI>ПAT, quod legitur in tabula Bantina (l. 7.): *tanginud*, (l. 9.) *tanginom*, (l. 3.) *tangi*; tum alia inscriptio apud Lanzium (T. II. p. 609.), in qua ambo signa reperiuntur; numi denique Rhegii, Acragantis, Gelae, Segestae (*Mionn. Descr.* T. VII. pl. XXXIII. n. 58-63. 76-84. 91-97. pl. XXXIV. n. 115-117. NONIƆƎЯ, PECI, AKRA<AΣ, AKRAC—ƎOTMA, ƎΛΛƎƆ, <EΛA≤, ATƎƎƆƎƎ, ≤ECE) et numi Samnitici Marsico bello signati ([76]), in quibus

ᗡVTNƆ8MƎ V⊦TVM — IПNNП ·>

h. e. *Gaius Papius Mutilus Imperator* legitur, vel: V⊦TVM ·> — MIПI8A⌇ h. e. *Gaius Mutilus - Sabin...* Mox fortasse, ubi copiosior Oscorum monumentorum praesto erit collectio, etiam hac de re decerni poterit, num, ut veri mihi simile videtur, vetustioribus tamen in monumentis solum ꓘ inveniatur, et Osci quoque ab initio quidem *g* litterae sonum non habuerint.

Id quod de Romanorum quidem lingua contendere non dubito ([77]). Signum C quum neque in veteribus Etruscis, neque veterrimis Graecis conspiciatur inscriptionibus, ex Magna Graecia recepisse videntur Romani eodem tempore, quo magnam commutationem passa est Romana litteratura. Paucis tantum in vocabulis retinebatur K signum ([78]), quod

---

([76]) Vide Eckhel. *D. N.* I. p. 103. Avellin. *Numism.* p. 19. Mionn. *Descr.* T. VII. pl. XIX. n. 4-8

([77]) Secus quidem iudicant Villoison. *Anecd.* T. II. p. 167. Muell. *Etr.* II. p. 296. not. 25; mecum Schneid. I, 1. p. 231.

([78]) Facile perspicitur, cur, si quae voces paucis tantum litteris notabantur, antiqua tum retineretur scriptura. Scribebant enim K.

olim, ut in reliqua Italia, ita Romae solum in usu fuisse, mihi persuasum est. Verum ab hoc inde tempore aeque atque in Etrusca litteratura C prorsus eundem habuit sonum, quam K, quum praeter paucissima illa verba ubique C adhiberetur, neque ullum habeamus indicium, statim a primis linguae temporibus *g* litterae sonum exstitisse. Maxime contra fuisset absonum, si Romani huius litterae nullum signum, sed pronuntiationem, illius vero duo signa eiusdem habuissent significationis. G signum sub finem quinti saeculi post Romam conditam inventum(79), neque multo fortasse ante sonus quoque huius litterae invaluisse videtur. Litterae vero *b* et *d*, quamvis et hae non aeque frequenter ac *p* et *t* in lingua Latina usurpentur, primitivae tamen videntur.

Verum etiam clarius in caussa nostra repetere licet exemplum ex notissima permutatione litterae *s* in *r*, quam permultis in verbis sub finem quarti ab Urbe condita saeculi incepisse, tum aliorum, tum Ciceronis (80) satis confirmant testimonia. Quare quum prorsus eandem conversionem *s* litterae etiam apud ipsos Umbros, atque eo ipso temporis spatio, quod inter Etrusce et Latine scriptas tabulas intercessit, accidisse mox visuri simus, quid tandem, quaeso, obstat, quominus praeter hanc unam linguae commutationem alias quoque admissas esse credamus?

---

sed *Caeso*, *Kal.* sed *Calendae*, *sl. iudik.* (Inscr. Scip.) sed *stlitibus iudicandis*, *C.* sed *Gaius*, *Cn.* sed *Gnaeus*.

(79) cf. Villois. *An.* II. p. 167. Schneid. I, 1. p. 270. et quae infra dicam.

(80) *ad Famil. Ep.* IX, 21.

3) Miretur tamen aliquis, quod tam cita ea conversio linguae facta videatur, ut fere omnia monumenta diverse scripta diversam etiam dialectum exhibeant. Sed primum animadvertere licet, neque in Latina neque in Etrusca illarum linguarum scriptura omnia deesse indicia huius transitionis paullatim factae. Iam enim supra monuimus, Umbricam linguam ab initio nullam ex litteris mediis habuisse; attamen non omnes una ingruerunt simul cum litteratura Latina, quum *b* litteram etiam in Etruscis tabulis reperiamus, interdum quidem cum *p* alternantem. In Latinis vero tabulis eae, quae adiiciebantur litterae, *o*, *d*, *g*, non ita iam inveteratae conspiciuntur, ut non saepenumero adhuc cum *u*, *t*, *c*, commutentur. Eam sibilandi litteram, quam Etrusca Umbrorum litteratura d designabat, nequaquam in Latinis tabulis abiectam videmus propterea quod nullum Latinorum signum conveniebat, sed novam in eius locum sibi finxerunt notam. In Oscis monumentis inter Etruscas litteras etiam plures medias receptas invenimus, e quibus 8 fortasse prius quam >; Я autem littera transitum parasse videtur ad *d* litteram. *Ọ* denique inter Oscas video litteras nonnullis in numis ([81]). Num in tam exiguo numero monumentorum, quae hucusque licet intueri, etiam plura exspectabis indi-

(81) Lanz. II. p. 589. n. 4. p. 602. n. 16. p. 606. n. 37. cf. Eckh. *D. N.* I. p. 108. 118. 123. Mionn. *Descr.* VII. pl. XIX. n. 15. 37. — Dempst. *Etr. Reg.* T. 1. tab. VI. in speculo aliquo exhibet BED-KoLE, quam repetit Lanz. II. p. 205. tab. XI. n. 1. et alii. *O* vero litteram hic non certam esse, aliae docent descriptiones, quas ineditas inspicere mihi nuper contigit.

cia, quibus confirmetur, non tam subitam fuisse ipsius linguae conversionem, quam primo intuitu possit alicui videri? Deinde vero, eo ipso tempore, quo Romanam subiecti populi receperunt litteraturam, maximum Romanorum quum omnis vitae tum linguae adpulsum omnino exstitisse, quis non credat? Quare pronuntiationem quoque populorum iam celerius tum temporis ad Romanam accessisse, quam antea, veri est simillimum.

Potissimum vero, quae dixi, in eos cadere videntur, quibus maxima cum Romanis tum fuit coniunctio, urbium dico cives, atque civium maxime nobiliorem eruditioremque partem. Id enim contendere nullo modo in animo est, ut primum Latina litteratura ad civitatem aliquam pervenerit, omnem subito Etruscam scripturam prorsus evanuisse, neque unquam rursus adhibitam fuisse; diu potius etiam postea tum rure tum in urbibus a plebe quidem Etrusce scriptum esse, mihi est persuasissimum. At quoniam inter huius generis homines etiam lingua ab omnibus rebus novis abstinere solet, summo profecto iure supra iudicavimus, nobis, quippe qui horum populorum monumenta recte legere atque ex recte lectis deinde pronuntiationis linguaeque ipsius veram rationem enucleare studemus, Etruscas eiusdem loci inscriptiones sive ad tempus, quo scriptae sint, sive ad linguam in iis exhibitam respicias, antiquiores habendas esse, quam Latinas. Tantum igitur abest, ut, quod in Dissertt. Isagogicis ad Hercul. p. 37. de muro refertur, in quo Osca vivo adhuc colore conspicua inscriptio doceat, in ipso

Herculani excidio Oscam litteraturam adhuc in usu fuisse, aliqua ex parte in suspicionem vocandum censeam, ut contendam, etiam pronuntiationem veterrimam singularum litterarum tum temporis in populo superfuisse.

Iam vero, si quae in praecedentibus comprobasse mihi videor, ad Umbrica, quae supersunt, monumenta adhibemus, id quidem dubium esse non potest, ex Eugubinis tabulis Etrusce, sive malis, Umbrice scriptas antiquiores esse, quam Latine scriptas, id quod infra etiam alia ratione elucebit, ubi quaestionem de scriptionis tempore accuratius persequemur: nemo enim has tabulas cum inscriptione Herculanensi componet. Tametsi autem illa scriptura olim propria et vernacula fuerit Umbris, tamen in Latinis quoque tabulis veram Umbrorum linguam, licet paullo temperatam Latina pronuntiandi elegantia agnoscendam esse arbitror.

IV. Quo autem tempore Romana litteratura potissimum usurpari coepta sit in Umbria, id ex historia tantum Umbrorum aliqua cum probabilitate colligi posse videtur. Consentaneum enim est, Latinas litteras non adhibitas esse, antequam ipsa Romanorum potentia etiam in rebus civilibus satis multum apud hunc populum valeret. Verum maxime est dolendum, quod de historia Umbrorum, validissimi olim atque per totam superiorem Italiam regnantis populi, qui vel unus omnium antiquissimus ([82]) Ita-

(82) **Dion. Hal. II**, 49: *Ζηνόδοτος δὲ Τροιζήνιος, συγγραφεὺς Ὀμβρικοῦ ἔθνους αὐθιγενεῖς ἱστορεῖ τὸ μὲν πρῶτον οἰκῆσαι περὶ τὴν καλουμένην Ῥεατίνην.* **Plin.** *H. N.* **III**, 19: **Umbrorum gens antiquis-**

liae a veteribus dicitur, paucissima tantum tradita ad nostram aetatem pervenerunt, atque haec paucissima ne iusta quidem cum diligentia hucusque composita similemque aliis Italiae populis tractationem ut assequerentur digna habita sunt. Ipsi igitur, quae ex rebus Umbricis ad nostrum finem facere videntur, hic brevi colligamus.

A. u. 307 omnes Umbrorum populos deditos esse post bellum Romanis minime spernendum, tradit Livius (83). Sed quinque tantum annis praeterlapsis et saepenumero deinceps Romanis denuo bellum fuit cum Umbris gerendum. A. u. 483 bellum cum Sarsinatibus Umbris Romae fuisse, Polybius (84), et D. Iunium Peram consulem de iis triumphasse Fasti Triumphales referunt. A. 487 Umbros et Sallentinos victos et in deditionem acceptos esse Livii libri xv. epitome docemur, et D. Iunium a. d. V. Kal. Oct., Num. Fabium a. d. III. Non. eiusdem mensis de Sarsinatibus, deinde ambos de Sallentinis triumphasse, Fastis Capitolinis; in quibus quum nullus de Umbris universis commemoretur triumphus, haud scio an quod in Livii epitome de Umbris refertur, de Sarsinatibus solis intelligendum sit. At etiamsi consul de Umbris triumphasset, nihil tamen de perpetua inde ab hoc tempore deditione affirmare liceret.

---

sima Italiae existimatur. *Ibid.*: Ameriam suprascriptam Cato ante Persei bellum conditam annis 964 prodidit. cf. Nieb. *H. R.* I, p. 161.

(83) Lib. IX. c. 41.

(84) Lib. II, c. 16. Mirum autem, quod idem Polyb. lib. 2. c. 24. scribit: *οἱ δὲ τὸν Ἀπέννινον κατοικοῦντες Ὄμβριοι καὶ Σαρσινάτοι συνήχθησαν εἰς δυσμυρίους.*

In hoc autem anno Muellerus ([85]) foederationem Umbrorum cum Romanis posuit. Nonnullos certe Umbriae populos etiam prius cum Romanis coniunctos fuisse scimus, e quibus *Ocriculani* iam a. u. 447 sponsione in amicitiam accepti sunt ([86]), *Nequinum* a. 453 in deditionem Romanorum venit, eoque colonia „adversus Umbros" missa est, a flumine Narnia appellata ([87]). *Camertes*, quorum aequum foedus ([88]) cum Romanis a. 547 memoratur, iam a. 443 amicissimos iis fuisse, apparet ex narratione apud Livium (lib. IX. c. 36.), licet a. 485 Camarinum a Romanis captum sit ([89]). Inde verisimile fit, a quinto fere Urbis saeculo maiorem factam esse Romanorum in Umbris potentiam. Quare nullo pacto, quae Latine scripta Umbrorum monumenta reperiuntur, ut ex nostris tabulis duae, inscriptiones Falisca et Assisinas, complures denique numi altius reponi possunt.

Numi autem reperiuntur *Iguvinorum*, *Tudertium*, *Camertium* ([90]), *Ariminensium*, *Pisaurensium*,

---

([85]) *Etr.* I. p. 319.
([86]) Liv. IX. c. 41.
([87]) Liv. X, c. 10.
([88]) Liv. XXVIII. c. 45.
([89]) cf. Freinsh. *Suppl.* lib. V. n. III.
([90]) His enim tribuendi numi cum inscriptione KA vel KAM, qui ab aliis Clusio tribuuntur. Camars enim Umbricum Clusii nomen fuit, et ne illo quidem tempore, de quo Liv. X, 25. commemorat, in usu fuisse potest. Quum Tyrrheni exigerent ex illis sedibus Umbros, tum hoc nomen ad Umbriae urbem Camerinum translatum videtur. Etrusci vero suam urbem semper profecto Clusium appellabant, quam a Tyrrheni filio Clusio vel ab Ulixis Telemacho conditam refert Serv. *Aen.* X, 167. Et qui fieri po-

dubitationi obnoxii *Vetulonensium*. Inter quos *Tudertes* numi ad unum omnes Etruscis inscripti sunt litteris, pariterque *Iguvini*, exceptis duobus, de quibus suo loco plura adiiciemus. Tuder ab Octaviano demum coloniam deductam esse, ex Frontini (91) loco patet: de Iguvio (92) tantum scimus, a. 585 Romanis hanc urbem fuisse coniunctissimam. *Camertium* paucissimi numi, ad pondus quidem veteriores, Latinam tamen exhibent inscriptionem: revocandum igitur ad ea, quae supra de Camertium cum Romanis coniunctione satis mature facta monuimus. *Ariminum* Romana facta est colonia a. u. 486 (93), neque ante cusi videntur numi, qui Latinas exhibent litteras ARIM. ARIMI. ARIMNO. *Pisaurensium* denique numi partim Etruscas litteras ƧIΠ, partim Graecam ferunt inscriptionem ΠΙΣΑΥΡΙΩΝ. Tempus, quo referendi, iam praeiudicare non audeo, neque vero quisquam Eckhelio assentiet, qui litteras ƧIΠ Romanas, et qui eas exhibent numos iunioris arbitratur aetatis, quam Graecos. Videntur tamen, priusquam a. u. 570 (94) Romana eo deducta est colonia, Graeci hic sedisse incolae.

---

tuisset, ut Clusii numi Latinis signarentur litteris, quos non ita recentes esse, pondus docet. Optime vero convenit Camerini Umbrorum satis antiquum cum Romanis commercium. Conferas tamen Muell. *Etr.* I. p. 102. n. 75. p. 238. 332.

(91) *De Colon.* p. 112. cf. Sigon. *de Antiqu. iur. Ital.* lib. III. c. 4.

(92) Ap. Liv. XLV. c. 43. *Iguvium* legendum. De singulari Iguvinor. in Roman. amicitia cf. Cic. *pro Balb.* c. 20. Caes. *B. C.* I, 12.

(93) Liv. *Epit.* lib. XV.

(94) Liv. XXXIX, 44.

DE

PRONUNTIATIONE LITTERARUM SINGULARUM.

Iam si cui hanc meam sententiam de Umbrorum litteratura universa persuasi, is fortasse non miraretur, si, quod ad tabulas Eugubinas attinet, omnino deinceps distinguerem inter Etrusce atque Latine scriptas tabulas, seorsum utramque scripturam pertractans. Verum tamen ex omnibus, quae sequuntur, apparebit, non tam perpetuam distinctionem, quam perpetuam comparationem vere et unice fructuosam esse, et nisi magno cum detrimento non posse segregari tabulas, quae eiusdem populi et vel eiusdem urbis lingua, sed diverso perscriptae sint tempore, ita ut vel historiam linguae Umbricae aliquatenus inde cognoscere possimus, id quod maximi nobis est momenti. Adscribam igitur singulas litteras, quales Dempsterianae quippe accuratissime exaratae tabulae exhibent, comparatis tamen etiam aliis, quae iuvare videntur, exemplis, ut Goriana atque Gruteriana tabula. Eam cuique signo adscribam Latinam litteram, quae in ipsis Eugubinis tabulis Latine scriptis ei respondet. Qua quidem comparatione quamquam plurimorum signorum etiam pronuntiatio facile erui posse videtur, tamen non possum, quin de compluribus signis recte legendis quid sentiam, accuratius deinde exponam, quum valde absonum videatur, vocem velle interpretari, quae legi non potest, atque quum valde

hucusque fluctuent virorum doctorum sententiae de nonnullarum litterarum lectione.

1. (A) 𐌀 (tab.I.II.III.IV.V.) 𐌀 (III.IV.V.)
2. (B) 8 (I.II.III.IV.V.)
3. (E) 𐌄 (I.II.) ∃ (III.IV.I.II.) ∃, ∃ (V.)
4. (V) Ɔ (I.II.III.IV.V.) ⊐ (V, 9.) Ɔ (I, 1.) > (I, 3.)
5. (F) 8 (I.II.III.IV.V.)
6. (H) ⊘ (I.II.III.IV.V.)
7. (T) ⊙ (I, 1. IV, 20.)
8. (I) I (I.II.III.IV.V.)
9. (C) ƆI (I.II.III.IV.) >I (I.II.III.IV.V.) ꓘ (V.)
10. (L) ⅃ (I.II.III.IV.V.)
11. (M) ꟽ (I.II.III.IV.) Λ (V.) Gori ꟽ.
12. (N) И (I.II.III.IV.V.)
13. (P) 𐌐 (I.II.III.IV.V.) ˥ (III, 3. 9. 14. IV, 11.)
14. (R) 𐌃 (I.II.III.IV.V.)
15. (RS) 𐌓 (I.II.III.IV.V.)
16. (S) 𐌔 (I.II.III.IV.V.)
17. (Ś) d (I.II.III.IV.V.)
18. (S) ‡ (I.II.) ꟼ (III.IV.) ꟼ (IV, 20.)
19. (T) ᛏ (I.II.III, 1-2.) ᛋ (III.IV.V.) ᛋ (V, 19. 22.)
20. (V) V (I.II.III.IV.V.)
21. D (ᛏ)
22. G (ƆI)
23. O (V)
24. Ω (VI.VII.) Q (V. *b.*) (⊐ƆI)
25. X (V. *b.*) (ƆI)

Ex his litterae *a*, *b*, *e* vix possunt in controversiam vocari.

4. Hoc signum (ᑐ) apud Etruscos eadem forma saepissime reperitur; praeterea autem forma ꟻ, quae prorsus accedit ad Graecum digamma (F), quod et ipsum sic (C) formatum in Graecis inscriptionibus ([95]) invenitur. In Latinis tabulis respondet ubique V, quo planum fit, sono quoque Graeci digammatis hanc litteram usam esse. In Latina lingua litteram F antiquam formam quidem, neque vero pronuntiationem ([96]) servasse, notum est; accessit enim in ore magis magisque ad Graecam φ, cui in Etrusca litteratura respondet fere 8.

5. 8*etu* igitur in Latinis tabulis F*etu* scribitur, 8*rater* F*rater*, *a*ᑐ*e*8 *a*V*i*F, al. ([97]). Quare 8 et F semper per *f*, ᑐ et V semper per *v* postea exprimam, ne eadem nota (*f*) diversas significem litteras ([98]).

6. ⊘ quum Graeco signo φ litterae simillimum sit, in Etruscis monumentis saepe dubitarunt, num *f* legerent, an *h* ([99]). In nostris tabulis clare semper distinguitur a 8. Respondet in Latinis tabulis H, sed in vocabulis, qualia sunt: (Etr.) *struhfla*, *apehtre*, *persnihmu*, (Lat.) *stahmei*, *aviehcleir*, *druhpei*, *ehveltu*, al. haec littera magis gutturalem sonum expressisse videtur, nec prorsus absimilis fuisse Grae-

---

([95]) Vide Boeckh. *Staatshaush.* T. II. p. 385. Muell. *Etr.* II. p. 297. Combe *Mus. Brit.* p. 148.

([96]) *Prisc.* p. 542. 560. Schneid. *Gr. L.* I, 1. p. 263.

([97]) Vide Muell. *Etr.* II, p. 299.

([98]) Muelleri hac in re non secutus sum exemplum, qui ᑐ per *f*, 8 per *ph* exprimere maluit (*Etr.* I. p. 46. n. 99.) suis quidem de caussis.

([99]) cf. quae infra hac de re dicentur.

corum χ litterae, quae in veteribus Graecis pariter atque in Etruscis monumentis ↓ signum fert, sed in Umbricis nostris non exstat.

7. Θ. Bis tantum haec littera reperitur, tab. I. *b*, 1: ΘA8ᗡV8 et tab. IV, 20: VΘIƆVꟼᗡV1. At qui locus in tabulis Umbrice scriptis est: *vukukum: iuviu: pune: uvef: furf*ath: *tref: vituf: turuf* etc., in Latinis ita exhibetur: *vocucom* . *ioviu* . *ponne* . *ovi* . *furf*ant . *vitlu* . *toru* . *trif*, et VI. *b*, 17. eiusdem verbi alia forma reperitur: *furf*atu. Altera vox etiam minorem habet fidem, quum eadem in tabula IV. sexies scripta sit: *purtuvitu* per simplex *t*, saepius vel eadem verborum in complexione, nec raro in ceteris quoque tabulis. In Latinis respondet: *purdovitu.* Passerius vel edidit: PVRTVVITV, sed nihil adnotat, et quum Dempsterus Θ repraesentet, Gruterus O excudit. Qua de caussa dubium mihi videtur, num revera Θ littera Umbris adiudicanda sit. Archetypi nova comparatio rectiora fortasse docebit.

9. Quae in Umbrica litteratura semper ƆI, in Latinis tabulis semper C redditur littera, nulla profecto cum diversitate pronuntiandi.

12. ᛖ et ᚢ explicatione non egent. Verum in tabula quinta signum reperitur aliunde prorsus ignotum Λ in his verbis: *Λestru* (V. *a*, 24. 27. V. *b*, 4.) *Λuneklu* (V. *a*, 17. 19. 21.), *Λuta* (V. *b*, 2. 3.), *Λutu* (V. *b*, 6.), *puΛpe* (V, 3. 10.), *eΛantur* (V, 8.), *eΛantu* (V, 10.), *kuΛnahkle* (V, 15.), *nuΛer* (V, 19.). Quicunque de litteris Etruscis inquisiverunt nostrasque tabulas adierunt, non dubitarunt, quin hoc signum idem esset atque ᛚ (*l*), inducti profecto hanc in opi-

nionem Graecorum signo litterae lamda, quod a principio, ut apud Etruscos et veteres Romanos, 𐌋 vel 𐌋, deinde ᚨ, ᚨ, denique Λ fingebatur. At nusquam (100) haec forma in Etrusca reperitur litteratura, atque nostra in tabula iam eam ob caussam *l* litteram non potest significare, quoniam haec suum signum hic quoque retinuit, multisque aliis in verbis invenitur, nunquam vero in verbis supra adscriptis alternans. Liquidam vero esse litteram vel *s*, suadere videntur, quas cum aliis litteris init coniunctiones. Quid igitur certius esse potest, quam *m* litteram exprimi, cuius consueta nota (𐌌) per totam nusquam reperitur tabulam, verbaque ita legenda esse: *mestru, muneklu, muta, mutu, pumpe, emantur, emantu, kumnahkle, numer,* e quibus postrema duo omnem vel minimam abigunt dubitationem, quum tab. III, 7. 8. bis legatur: *kumnakle* et tab. I, 17. 17. bis: *numem.*

14. 16. O, 𐌓. Haec quoque signa a nemine hucusque recte sunt distincta atque lecta, quum utrumque *r* litteram significare putarent (101). Si componis ea vocabula, quae 𐌓, atque ea, quae O signo scripta sunt, nullam eorum permistionem vel alternationem deprehendes. Diversas igitur exprimunt litteras. Tredecies reperitur vox *a*𐌓*epes*, nunquam *a*O*epes*; reperies: *siinama*𐌓, *ereſlama*𐌓, *asama*𐌓, *spantima*𐌓, *perskluma*𐌓, nullam terminationem in *-ma*O; reperies: *vusiiape*O, *petruniape*O, *tutape*O, *treſipe*O, *ukripe*O,

---

(100). In inscriptione apud Lanz. I. p. 173. LARDIAΛER-NEIVETINAL, fortasse A legendum.

(101) Lanzi *Saggio* T. III. p. 692. Muell. *Etr.* II. p. 306.

*ahtispe*Ո, *puplupe*Ո, al., nullam terminationem in -*pe*q ([102]). Quid? quod in Latinis quoque tabulis diverso modo redduntur, in quibus q litterae semper RS, Ո litterae R respondet; conferas (Etr.) *ta*q*inate*, *pi*q*e*, *te*q*a*, *kapi*q*e*, *ka*q*itu*, *kale*q*uf*, Ո*estef*, Ո*ufra* et (Lat.) *tarsinate*, *pirse*, *dersa*, *capirse*, *cars-itu*, *calersu*, *reste*, *rofa*. Neque tamen prorsus item sonuisse q ac ꙅՈ, vel inde apparet, quod, quum semper reperiamus: *turskum*, *mersuva*, *persnihmu*, *perstu*, *persuntru*, *persklu*, nunquam exhibetur: *tu*q*kum*, *me*q*uva*, *pe*q*nihmu*, etc.; ipsa ꙅq coniunctio invenitur in vocibus: *etu*q*stahmu*, *me*q*s*; ꙅՈ interdum alternat cum simplice ꙅ, ut modo: *persnimu*, *persuntru*, *turse*, *tursituto*, modo: *pesnimu*, *pesuntru*, *tuse*, *tusituto* scribatur, nunquam q littera. Quare etiam Latina significatio RS non prorsus illam adaequasse videtur.

Quae ipsa littera, quum facile omnium difficillima sit explicatu, ab hoc loco non alienum puto, si etiam fusius de ea disseram, proficiscens a simillima Oscorum littera Я, de qua certius aliquid statuere licet. Apud Oscos enim litteram caninam ut apud Etruscos, Umbrosque Ո vel ◁ signari, supra iam diximus. Aliam vero habent litteram Я, quae in Latinis Oscorum monumentis non R sed D redditur, cui litterae (*d*) etiam pronuntiationem similem fuisse, omnia persuadent. Etenim summus Campanorum magistratus apud Ennium ([103]): *meddix*,

---

([102]) tab. 1*a*, 31. Dempsterus exhibet: *ukripe*q, sed procul dubio legendum: *ukripe*Ո.

([103]) ap. Fest. lib. XI.

apud Livium ([104]): *medix*, in inscriptione Graeca Siciliae ([105]): *μέδδιξ*, idemque in Osca inscriptione Velitrarum: *medix*, Bantiae: *meddis* appellatur, at in Osca litteratura scriptum videmus ƧƧꟷЯЯƎꟽ ([106]) vel ƧꟷЯЯƎꟽ ([107]). Osca numi cuiusdam inscriptio ЯИIППVЯVꓘИ ([108]) a *Sestinio* ([109]), *Mionnetio* ([110]), al. recte Samnii urbi Aquiloniae ([111]) vindicari videtur, licet aliquis potius Aquidoniae nomen exspectaverit. Arcta autem coniunctio litterarum *d* et *l* nota est ([112]). Quid? quod hodie eadem urbs *Accdogna* ([113]) appellatur. Maxime porro notabilia sunt, quae *Avellinius* ([114]) de numo Teani Sidicini urbis acutissime disserit. Satis enim frequentes huius urbis exstant numi, quorum inscriptio non semper recte legebatur ab iis, qui retulerunt. *Ignarra* ([115]) litteras mere Graecas repraesentat ΣΙΔΙΚΙΝ, quamquam in altera parte consuetam Oscam legit inscriptionem TIANVR, nisi quod Latinas adhibet litte-

---

(104) lib. XXIII, 19. XXVI, 6.

(105) Vide Muell. *Etr.* II. p. 69.

(106) *Diss. Isag. ad Herc.* tab. II. cf. tab. XIX: ƎVT·ЯƎꟽ

(107) Lanz. II. p. 609.

(108) Sestini *Class. Gen.* tab. I. n. 63.

(109) Ibidem.

(110) *Desc. Supplém.* I. p. 225. n. 191.

(111) Contra Eckh. *D. N.* I. p. 140. Avellin. *Num.* p. 47. et ipsum Mionn. I. p. 129.

(112) Vide Schneid. *Gr. L.* I, 1. p. 255.

(113) Sestini l. l.

(114) Giorn. *Num.* num. III. p. 35.

(115) *De Palaestr.* p. 267.

ras ([116]); *Sestinius* ([117]) sibi finxit: ZIDIKINVD, *Mionnetius* ([118]) ZIKIKIN, et *Combius* ([119]) exhibet SIKIKIN. Hos omnes falso retulisse, docet *Avellinius* l. l., et numum repraesentat ([120]), in cuius altera parte ЯVПИ⊦T in altera VПIꓘIЯI′ conspicitur ([121]). Ipse (p. 36.) explicat hanc scripturam Osca permutatione litterarum *r* et *d*, et nobis copiam facit, nostram sententiam de Osco Я signo luculenter confirmandi. Я signum alias in syllabis finalibus maxime adhibetur, et, si quid video, in Latine scriptis Oscorum monumentis terminatio in -*d* eadem est, quae

---

(116) Combe *Mus. Brit.* p. 28. n. 1. repraesentat ЯVПИ⊦T — quod enim A pro И exhibet, typorum fuit inopia, ut ceterae huius libri inscriptiones docent — Idem vero n. 2-5. profert ЯVПИ⊦T, Pellerin. pl. IX. n. 50. p. 63: ЯVПИΛT.

(117) *Class.* tab. I. n. 66.

(118) *Descr. Supplém.* T. I. pl. VII. n. 30.

(119) *Catal. Mus. Hunter.* p. 317.

(120) tab. III. n. 3.

(121) Eorum, qui *Sikikin* exhibuerunt legendi potius, quam videndi suspicor errorem. Я enim etiamnum in numis, qui inscripti sunt voce √OƎЯИ vel VOƎЯИ, ab omnibus, qui eos referunt, *k* legitur (*Akeru*), quoniam Acerrarum Campaniae nomen cognoscere sibi videntur, cf. Eckh. *D. N.* I. p. 109. Lanz. II. p. 593. Mionn. *Descr.* I. p. 110. Avellin. *Ital. vet. numism.* p. 26. At si reputas, unicum hoc esse exemplum *k* litterae ita signatae, vicinarum eiusdem terrae urbium Calatiae (Eckh. *D. N.* I. p. 110.), Capuae (ibid.), Cumarum (p. 111.), Nuceriae (p. 115.), Teani Sidicini (p. 118.) nomina Oscis litteris scripta ꓘ exhibere, in aliis Я quidem adesse, sed aliam litteram exprimere, nemo mihi persuadebit, in sola voce VOƎЯИ *k* litteram signare, praesertim quum alii numi Acerrarum cum Latina inscriptione exstent. Nisi fortasse Hadriae Piceni, vel Aleriae Corsicae attribuendi videntur illi numi, incertis accensuerim.

in Osce scriptis ꓤ-, Muellero ([122]) licet aliter sentiente, qui in Osca litteratura T- respondere putat. Nonnulla verba vel ad litteram fere eadem reperiuntur in Abellana Bantinaque tabulis ([123]) (cf. ꓤVПI>ПAT, TANGINVD; ꓤVП, POD; ꓤIП, PID, ꓤVϽꜰƎП, POIZAD). Atque inde proficiscendum in difficillima quaestione de numis Oscis, in quibus urbium nomina exhibentur in ꓤV- vel -OD desinentia. Terminatio haec neutralis fuit ([124]), quam neque *ur*,

---

(122) *Etr.* I. p. 28. not. 52.

(123) *Memorie di var. erudiz. della Società Colombaria* Vol. II. p. 3. et *Diss. Isag. ad Herc.* P. I. tab. v.

(124) Reperimus LADINOD et LADINOM (Sestin. *Class. Gen.* p. 13. „Epigraphe: LADINOD, *raro*: LADINOM." Eckh. *D. N.* I. p. 107. hanc epigraphen LADINOM Romae in Museo Abbatis Chaupy vidisse se dicit.) Quarum alteram formam Muellerus legit: *Larinos*, quamquam urbs *Larin*um, incolae *Larin*ates appellantur. BENEVENTOR (Eckh.? ap. Lanz. III. p. 601.) et BENEVENTOD (Combe *Mus. Brit.* p. 20. Lanz. II. p. 601.) in numis legitur, qui ad urbem *Benevent*um pertinent, cuius cives *Benevent*ani. *Teanum Sidicin*um cudit numos, in quibus ꓤVП-ИꜰT vel ꓤVПIKIꓤIƧ ꓤVПИꜰT conspicitur. De numo cum inscriptione VITELIVD, quem Lanz. II. p. 600. Muell. *Etr.* I. p. 33. Mionn. *Descr. Suppl.* I. p. 227. pl. VII. n. 19. Sestin. *Class. Gen.* p. 13. tab. 1. n. 75. ad fidem unius Swintonii in *Philos. Transact.* T. LI. p. 853. collaudant, supra iam dixi, vix ullam eum fidem habere. Hinc removendi sunt etiam numi, in quibus ATINOS legitur. Haec enim inscriptio mere Graeca est, atque urbs Lucanorum, cuius incolae tantum apud Plinium appellantur *Atinates*, siquidem hic numus eo referendus, vel *Atinus* (ut Laus, Pyxus, Lucanorum urbes) terminabatur, vel *Atinos* graecum est adiectivum pro Latino *Atinas*. Pellerinius (*Rec. de peupl. et de vill.* T. I. p. 69. pl. x. n. 1.), qui solus hunc numum repraesentat, et de duobus aliis similibus refert, incertis accenset, et hominem potius,

neque *ud*, neque *um* syllabae Romanorum prorsus adaequare potuerunt, quoniam Osca illa littera fere

---

quam urbem illo nomine significari putat. In numo denique a Mazochio (*Tabb. Heracl.* p. 554. n. XI.) exhibito, Lanz. (II. p. 606.) legit ƧOIƆƎꟻ; Mazochius autem ipse (p. 550. col. I.) rectius legerat NOIƆƎꟻ. Item Sestinius (*Class. Gen.* tab. II. n. 66.) ƐOIƆƎꟼ falso exhibere videtur. Certi igitur restant tantum numi, quorum nomina in ꟻV- vel -OD desinunt. Qui quum omnes pertineant ad urbes, quae in lingua Latina terminatione in -*um* utuntur, iam inde probabile fit, neutralem illam esse Oscorum terminationem. Idem vero suadent nomina neutrius generis: *Tibur* et *Anxur*, e quibus *Anxur* Oscam esse adpellationem diserte tradit Plinius in *H. N.* III, 5, his verbis: „Dein flumen Ufens, supra quod Terracina oppidum, *lingua Volscorum Anxur* dictum" (cf. Fest. s. v. Anxur). Romani enim ambiguam illam Oscorum litteram ꟻ modo *r*, modo *d*, modo *l* pronuntiabant; *r* in *Anxur, Tibur, Larinum* (nisi quod in voce *Larinum* terminationem commutaverunt), *d* in *meddix*, *Sidicinum*, *l* in *Aquilonia.* Ipsi tamen Osci illum sonum magis accedere putaverunt ad Romanorum *d*, quum iis in monumentis Oscis, quae Latina utuntur litteratura, constanter D signum posuerint (MEDDIS Bant. et Velitr. TANGINVD, PID, POD). Caveas igitur, ne in vocibus LADINOD, BENEVENTOD, YDINA (Hyrium Apuliae) D peculiare quoddam signum Romanae *r* litterae iudices et non legendas eas putes: *Ladinod, Beneventod, Ydina.* Signum enim D nusquam significavit litteram caninam, ne in Magna Graecia quidem; sed in Etrusca, Umbrica, Osca litteratura conversum signum Ɑ vel ꟼ, in Graeca ꟼ vel ꟻ, in Latina tum Romanorum, tum Umbrorum, tum Oscorum (ut docent tabulae Bantiae, Velitrarum et numi) tantum ꟻ. — Quid autem? quod suspicamur, omnem neutralem terminationem in -*um* Oscae linguae abiudicandam esse.

Qua de re ut iustius possimus iudicare, longius iam oportet recedere. Quum enim per omnes linguas Indicae stirpis prima terminatio generis neutrius littera lingualis fuerit, integram tamen sola servavit Germanica lingua in adiectivis et pronominibus (vide Grimm. *Gr.* I. p. 803.), Gothorum neutro in -*ata*, sequentium

medium tenuisse videtur inter *r* et *d*, magis tamen, ut videtur, accedens ad *d* litteram. Prorsus autem,

---

dialectorum in *-at, -az, -as, -es* desinente. Iam Sanscrita lingua non tantum ex adiectivi, sed etiam ex pronominis interrogativi declinatione कस्, का, किम् (*kas, kâ, kim*) reiecit lingualem, quamvis in composito quidem कच्चित् (*katschtschit*, an, num) superstitem esse, docet Bopp. (*Gr. L. Sanscr.* Fasc. I. reg. 273. 284.) In Latina quoque lingua solis restat in pronominibus: *id, quod, quid, istud, illud, aliud*, et ne in omnibus quidem, quum pro *ipsud* dicatur *ipsum*. In vocabulis: *ita* et *aliuta* (ap. Fest. i. q. aliter) terminationem in *ta* componendam esse cum Gothorum neutro in *tu* (*ita*, *thata*, al.) acute animadvertit Max. Schmidt in *Commentatione de Pronom. Graeco et Latino* (*Halle.* 1832. p. 87.). Graeca lingua, ut omnino a finibus verborum, ita lingualem a pronominibus quoque abiecit; nondum autem pronomina τὶ, τὸ, ἄλλο, αὐτὸ, al. solitam adiectivi terminationem *-ν* receperunt. Quam quidem *ν* litteram, vel *m* in Sanscrita Latinaque lingua, in neutrum irrepsisse ex accusativo masculini generis, res est hodie satis nota (cf. Grimm. *Gr.* I. p. 825. Bopp. *Gr.* r. 122. et *Abhandl. der Berl. Acad.* 1826. *Histor. Philol. Klasse.* p. 72. 73.), quae etiam confirmatur inde, quod in Latina lingua postea accusativi terminatio non tantum in neutrum singularis, sed etiam in nominativum masculini ceterosque omnium generum casus prorsus et ubique insedit, ita ut, quae Romanicae dicuntur linguae, constanter per totam declinationem usurpent Romanorum accusativum, tum in singulari, abiecta quidem littera *m* — quae restitit tantum in Francogallico verbo: *rien* i. e. *rem* atque in Italico *speme* — tum in plurali numero Francogallica certe et Hispanica. (De formis, quales in lingua Italica: *genere*, *ente*, quas doctrina hominum, non populi sermo ex ablativis Romanis indocte repetiit vide Diez. *Berl. Jahrb.* 1831. n. 73.). Quam formarum commistionem satis mature factam esse, permultae comprobant inscriptiones Latinae (vide Grut. *Ind. Gramm. s. v. casus mutatio*). Caussa vero, cur in lingua Sanscrita, Graeca, Latina ipsum neutrum lingualem litteram tam antiquo tempore amiserit, ut necessarium visum sit, aliam terminationem in eius vicem subiicere, non ex alto mihi repetenda videtur. Nimirum ipsa Latina lingua persuadeat

ut in Osca litteratura ᑕ et 8, ita in Umbrica ᑕ et ꟼ distinguuntur, et quamvis utrumque signum ᑕ et

---

alicui, non *t* sed *d* litteram primitivam neutrius generis fuisse terminationem. At quum omnes mutae litterae, tum imprimis mediae, fere omnibus in linguis ex rei natura aegre feruntur in finibus verborum. Quare in Sanscrita lingua in pausa pro *d* pronuntiabatur *t*; in pronominibus, quae diutius lingualem in neutro servabant, non *d* sed *t* reperimus. Graeci ne *t* quidem in fine verborum pronuntiabant, itaque vel in pronomine omnem lingualem abiecerunt. Romana autem lingua vel adamat litteram *t* in fine; sed ex litteris mediis *g* nunquam, *b* in procliticis *ab*, *ob*, *sub* tantum patitur, *d* vero magis magisque a finibus verborum removere studet, ut nos ipsa, quatenus persequi possumus, historia linguae docet. Nam inter pronomina *ipsum m* litteram iam commutavit cum *d*; praeterea duae tantum praepositiones, quae per se omnes procliticae sunt, *ad* (*ar*) et *apud* (*apor* Fest.) duaeque coniunctiones *sed* (ex *sedum* Fest., ut *donic-um*, *sus-um*) et obscurissima sane vocula *haud*, in *d* litteram desinunt. Alia vero terminatio *d* litteram finalem diu retinuerat, cuius vestigia praeter Romanam tantum in Sanscrita lingua reperimus, ablativi dico terminationem, quam haud raram Columna Duilia, S C. de Bacchanalibus atque Scipionum monumenta exhibent (*sententiad, Gnaivod, marid, exstrad,* al.), postea vero prorsus evanuit et haec, et restiterunt sola illa pronominum neutra. Iam vero, si inde suspicari licet, olim in Romana lingua *d* litteram etiam frequentius adhibitam esse in finibus verborum, et non tantum *ipsud* dictum esse, sed etiam *bonud* et *malud* et in omnibus neutris, quae postea in *-um* formabantur, num adhuc mirum videtur, quod alia Italiae lingua antiquissimum illud neutrum in *-d* etiam diutius servabat? Id autem de Osca lingua affirmandum videtur. Fit enim verisimile tum ex ipsa terminationum in *-d* vel 8- frequentia, tum ex numis supra allatis, qui urbium nomina in -OD vel 8V- exhibent, apud Romanos in *-um* desinentium. Accedit, quod nulla neutralis terminatio in *-um* sive in Bantina tabula, sive in numis aliqua cum fide proferri potest. Quae enim inscriptio exhibetur: ᗰVᑎᑕƎTAᖷᒧA ᗰVᑎIᑕꓘƎVᑎ (Lanz. II. p. 599. Combe *Mus. Brit.* p. 27. Eckh. *D. N.* I. p. 115.) non potest neu-

ꟼ in Etrusca pariter atque in Graeca litteratura solam litteram caninam exprimat, et quamvis in Graeca litteratura R ([125]) ex P factum sit eadem ratione, qua Oscum Я signum ex Umbrico ꟼ, tamen nullam nisi externam quandam similitudinem inter illa signa exstitisse, persuasum habeo. Apud Phoenices ([126]) enim *d* litterae signum ⋀ (Babyl. ꟼ) a principio fere idem fuit atque *r* litterae signum ꟼ; apud Graecos ([127]) quoque antiquissimum *d* litterae signum, ut apud Romanos fuit D et proxime accessit ad signum *r* litterae. Cum hoc *d* litterae signo coniungendum puto Umbricum ꟼ, quod Osci Я finxerunt. Quum vero apud Graecos *d* litterae signum non amplius D, sed Δ scriberetur, littera canina modo P modo D sig-

---

trum esse, quum urbs appelletur *Nuceria Alfaterna.* Quare Lanzius explicat *Nucerinûm Alfaternûm.* De alia inscriptione MVN-DƎTᒧƎMVK nondum liquet, quomodo sit interpretanda. Ignarra explicat: *Cumae ad Liternum.* At pronomina apud Oscos quoque in lingualem desiisse, iam ex Festo scimus, qui dicit, *quidquid* illos pronuntiasse: *pirpit* (si quid mutandum, *pirpir* scribendum videtur, non *pitpit*) et si *pod* voculam Bantinae tabulae vertimus *quod*, cui in Abellana respondere videtur ЯVΠ, *tanginud* quoque, cui illic ЯVΠI>ΠΑT respondet, aliasque terminationes in -*d* neutrales agnoscere non dubito.

([125]) In Graecis Italiae inscriptionibus saepissime haec forma reperitur, ut in vasis Volcentibus, vide Luc. Bonap. *Mus. Etr.* n. 565. 568. 584. 790. 1533. al. et in aliis inscriptionibus, vide Boe. *C. I.* n. 16. 26., sed etiam in inscriptione Delphica *C. I.* n. 25. aliisque Graeciae *C. I.* n. 34. 38. 18. 19. De forma P vide *C. I.* n. 14. Lanz. *S.* T. I. tab. III. n. 13. Luc. Bon. *Mus. Etr.* n. 1500. et P in numis Rheginorum (Mionn. T. VII. tab. XXXIII. n. 58-61.)

([126]) Kopp *Bilder und Schrift. d. Vorzeit* Vol. II. p. 380. 396.

([127]) *C. I.* n. 2. 4. 14. 25. 26. al.

nabatur. Ex P forma, ut apud Phoenices quoque 𐌓 ex ᑫ, apud Graecos deinde orta est R, quam Romani receperunt. Etrusci semper retinuerunt eiusdem significationis ᑫ et Q, Umbri diversae significationis, quam etiam Osci servarunt. In Latinis autem nostris tabulis ᑫ littera exprimitur per duas litteras RS, quod revera non prorsus accedere videbatur ad Romanam *d* litteram, sed medium quodammodo tenere inter *r* et *s*, fere ut Graeci *u* litteram significabant per *o* et *v* coniunctas, vel ut hodie Graeci *β* litteram per *μ* et *π*, nosque ipsi sonum quendam simplicem per *ng* designamus. Blaesa quaedam illa ᑫ littera Umbrorum fuit, quae quomodo ad *d* litteram vel *s* simulque ad *r* accedere potuerit, magis intelligere possumus, si reputamus, Italiae ([128]) et Graeciae ([129]) aliam *r* litterae pronuntiationem in usu fuisse, quam plurimis Germaniae populis. Extrema enim lingua palato admota proferebant hanc litteram, quae nobis gutturalis magis est, quam lingualis. Ita etiam in Romana lingua explicanda est

---

([128]) Haec fuit, de qua Ter. Scaurus p. 2251. dicit, *l* et *d* et *r* et *s* saepe in ore confundi et „qui *r* exprimere non possint, aut *l* dicere aut *s*." Eadem, de qua de Hayter in *Diss. Isag. ad Herc.* p. 38. n. 13. „Neapolitanam plebeculam ad hunc diem saepe *r* pro *d* usurpare, adeoque pro *Madonna* pronuntiare *Maronna*." cf. Muel. *Etr.* I. p. 29. Eadem, quam ut a veteribus Iberis, ita ab hodiernis Vasconibus cum *d* littera commutari W. de Humboldt refert (*Urbewohn. Hispan.* p. 82.), qui de Bengalorum quoque *d* littera simile aliquid laudat ex Wilkins *Gramm. Sanskr.* p. 8.

([129]) Dionys. *de Comp. verb.* XIV. p. 98: τὸ δὲ ρ (προφέρεται) τῆς γλώσσης ἄκρας ἀποῤῥαπιζούσης τὸ πνεῦμα, καὶ πρὸς τὸν οὐρανὸν ἐγγὺς τῶν ὀδόντων ἀνισαμένης.

arcta illa coniunctio litterarum *d* et *r* (130), et quum notum sit, praepositionem *ad* praesertim in compositione a veteribus *ar* pronuntiatam esse (131), unde etiam postea remanserunt *arbiter* et *arcesso*, speciose certe aliquis coniecerit, syllabam praepositivam *a*ᑫ- in tabulis Eugubinis satis frequentem (*a*ᑫ*fertur, a*ᑫ*mune, a*ᑫ*peltu, a*ᑫ*putrati, a*ᑫ*veitu, a*ᑫ*viu, a*ᑫ*epes*) eandem esse ac Latinorum *ad* (132), *ta*ᑫ*inate* qui in tabulis (133) appellatur populus, esse *Tadinates*, quos Plinius (134) Umbriae memorat populum, *pup*ᑫ*ike* vel *pub*ᑫ*ike* vertendum esse: *publice*, *fame*ᑫ*ias Pumpe*ᑫ*ias* (135) recte explicari: *familiae Pompiliae* (136). Verum etiam non mirabimur, si interdum quidem ᑫ et Ɑ iisdem in vocabulis alternant, ut in his quatuor: *te*ᑫ*tu, vepü*ᑫ*atu, a*ᑫ*veitu* et *a*ᑫ*viu*, quae, quum in Latinis quoque tabulis reperiantur: *arsveitu* et *arveitu*, *arsfertur* et *arfertur*, minime alicui possunt persuadere, ᑫ et Ɑ eandem significare litteram (137).

---

(130) cf. *meridies, medius dies; audio, auris; κηρύκιον, caduceus*. Vide Schneid. *Gr. L.* I, 1. p. 257. 258.

(131) Vide *Prisc.* p. 559. Vel. Long. p. 2232. Fest. s. v. *arferia* cf. Lindemann T. II. P. I. p. 315. Schneid. l. l. Quint. *Instit.* XII, 10: „pro advorsum nonnulli pronuntiant asvorsum *d* litteram mollire tentantes."

(132) cf. Muell. *Etr.* I. p. 56. n. 24.

(133) tab. I, 16. 17. tab. VI *b*, 54. 54. 58. 58. al.

(134) *H. N.* III. c. 19.

(135) tab. II *a*, 2.

(136) cf. quae supra diximus de numo Osco Aquiloniae urbis.

(137) Festus refert: „*perfacul* antiqui et *persefacul* dicebant, quod nunc *facile* dicimus (et *perfacile*), cf. Lindemann T. II. P. I.

16. 17. 18. Quum usque ad Bourguetium nota d putarent *b* litteram signari, quamquam haec ubique 8 repraesentata est, hic primus ([138]) ex comparatis Umbrice Latineque scriptis tabulis recte intellexit, sibilandi litteram illo signo exprimi, et cum Graecorum Z composuit. Quare miratus sum, quod neque Passerius, neque Lanzius hanc Bourguetii animadversionem in suum usum converterunt, ita ut Passerius ([139]) *strudla* interpretetur Umbrica voce a Festo (s. v.) laudata: *strebula*, et Lanzius ([140]) qui vocem *dihdera* (*sihsera*) derivat a *biber*, *potus* (ita enim scribit et Charisium p. 99. laudat) vel emendasse ([141]) sibi videatur Eugubinam tabulam ([142]), dum pro STRVSLA scribit: STRVBLA. Muellerus ([143]), a Bourguetio tamen, ut videtur, non edoctus, tandem suam rursus huic litterae vindicavit pronuntiationem. At ne hic quidem animadvertit, in Latinis quoque tabulis hanc sibilandi litteram lineola quadam addita a frequentissima altera S distingui et Ꙅ scribi, id quod Bourguetius vidit quidem, sed nescio quo casu in eo falsus est, quod hoc signum non cum d sed cum ꓷ in tabula sua litterarum componit. Conferas (Umbr.) *dimu*, *derse*, *dersie*, *Sade*, *Sadi*,

---

p. 118. 199. — Conferas etiam tab. I, 29. 32: *peꟼum*, tab. Bantin. l. 5. 14. 21: *perum dolum malum* (i. e. per dolum malum).

([138]) *Diss. Cort.* T. I. p. 1. 7.

([139]) *Paralip.* p. 276.

([140]) *Saggio* III. p. 697.

([141]) Ibid. III. p. 834. 756.

([142]) tab. VI. l. 59.

([143]) *Etr.* I. p. 47. n. 101.

strudla, *purtindus*, *prusedete*, *prusedetu*, *prusedia* et (Lat.) *'simo*, *'Serfe*, *'Serfer*, *'Serfi*, *'Serfie*, *'Serfia*, *'Serfiar*, *San'si*, *San'sie*, *stru'sla*, *purdin'sus*, *prose'setir*, al. Saepenumero tamen *S* et *'S* inter se commutata reperiuntur, quod quidem magis ei assignandum putaverim, qui tabulas exscripsit, quam ipsi sculptori; facillime enim praetermitti poterat lineola, quam Lanzio accentum ([144]) appellare placuit. Gruterus ubique *S* exhibet, etiam quae vocabula Dempsterus cum *'S* notavit.

ǂ notam Passerius, Lanzius, Muellerus Graecorum *ξ*, Latinorum *x* litteram significare, sibi persuaserunt. Sed haec opinio ab una tantum gemma ([145]) proficiscitur, in qua legitur ƎǂV⅃V (*Uluxe*), Ulixis nomen. Atvero primum notandum est, Maffeium quidem ita illud nomen exhibere, Adamium ([146]) vero, et Gorium ([147]): ƎǂV+V, quam Lanzius ([148]) quoque praefert lectionem. Inde vero apparet, ex Graeco nomine Ὀδύσσευς corruptum hic esse: *Utuǂe*, necdum Latinum os *d* litteram in *l* commutasse — Etruscis enim, qui *d* litteram non habebant, permistionem huius litterae cum *l* cavere non opus erat,

---

([144]) *Saggio* II. p. 759: „Sansie e poco appresso Strusla nell' originale hanno un *accento grave* sopra la *S*; così altre parole. Non credo appartenere alla dottrina dagli accenti latini lungamente esposta da Massino Vittorino (p. 1942.) ma essere *un capriccio dello scrittore*."

([145]) Gori *Mus Etr.* tab. 198. Lanz. T. II. tab. IX. n. 3.

([146]) *Storia Volsena* p. 32.

([147]) *Mus. Etr.* tab. 198.

([148]) *Saggio* T. II. p. 158. vide tab. IX. n. 3. ƎǂVλV, ƎVƎ↓Λ.

quum *ι* et *l* nimium profecto in ore discreparent ([149]). Sed etiam ex aliis nominibus colligendum videtur, non tam Etruscos, quam ipsos Romanos *ξι* litteram adamasse in pronuntiatione. Πολυδεύκης enim in Etruscis monumentis scribitur *Pultuke* ([150]) vel *Pultuce* ([151]), quum Romanorum *Pollux* ab ipsis demum correptum videatur ex *Polluces* ([152]) vel *Poloces*, qualis forma etiam in antiquo speculo Latino exhibetur ([153]), in quo POLOCES, LO⅃NA (*Luna*), AMVCES (*Amycus*) legimus. Αἴας Etrusce scriptus reperitur ([154]) cum digammate ⅃AƎIA, quum apud Romanos *Aiax* pronuntiatus sit. Quare quum *x* neque in *Pollux*, neque in *Aiax* Etruscum, sed mere Romanum sit, in verbo *Ulixes* quoque Etruscae non putaverim originis. Legendum igitur non *Utuxe*, sed *Utusse* (Ὀδύσσευς) videtur. Atque hanc pronuntiationem ǂ litterae, secundum quam non multum differat ab S Romanorum, omnia, si quid video, confirmant. In Latinis tabulis Eugubinis constanter illi respondet S; conferas: (Umbr.) *pihaǂ, kunikaǂ, iapuǂkum, tafeǂ, anǂeriatu, aǂeriatu, ǂeqef, puǂe,*

(149) Sin vero legendum videatur alicui *Uluǂe*, in Graeco iam ore hanc litterarum permutationem factam esse, concludi potest ex vase Volcente (vide *Mus. Etrusque de Lucien Bonaparte, Prince de Canino. Vases peints avec inscriptions. Viterbe.* 1829. T. I. tab. XXI. n. 829.), in quo legitur: OLVSEVS.

(150) Lanzi *Saggio* T. II. p. 214. tab. XI. n. 6.

(151) Id. T. II. p. 217.

(152) Plaut. *Bacch.* IV, 8. 52.

(153) Lanzi T. II. tab. XII. n. 6.

(154) Id. T. II. tab. IX. n. 6. p. 160. Aiax Achillis (AVELE) corpus ferens.

al. et (Lat.) *pihos*, *conegos*, *iapuscer*, *tases*, *aseriatu*, *serse(f)*, *puse*, ita ut pronuntiandi diversitas litterarum ≀ et ‡ postea evanuisse videatur. Sed in Etrusca quoque lingua ‡ simplicem sibilandi litteram fuisse, evincunt primum nomina, quorum compluria apud Etruscos per ‡, apud Romanos per *s* scribuntur, ut AΠ‡ΠAƆ (155) vel AΠ‡IAƆ (156), quod in bilingui inscriptione (157) redditur *Caesius*; VƆI‡ Lanzius (158) recte composuisse cum ƎΠVƆƎ≀ (159) et *Siccius* vertisse videtur; aliud nomen A‡IꓘƎƆ (160) in Latinis inscriptionibus (161) scribitur: VILISA, VIIꓘISA, VEꓘISA. Verum si Graecum ξ reddere volebant, ut in voce Ἀλέξανδρος, *Alexander*, non scripserunt ƎƆꟼΠ‡VƎ, sed ƎƆꓘΠ≀↓VƎ (*Elchsntre*) (162). Eandem litterarum coniunctionem etiam alibi reperimus, ut in verbis Ǝ≀↓Ǝ (163),

ƎXIMƎVVMƎI≀↓V...V+I+MƎMMAIM (164),

et bis ƎHIMƎVVƎMI≀Ψ (165). Multo frequentius invenitur ≀Ɔ vel MƆ, ut in MƆIMV (*umiks*) (166),

---

(155) Id. T. II. p. 342. 437.
(156) Id. T. II. p. 446.
(157) Id. T. II. p. 342.
(158) T. II. p. 447. n. 420.
(159) Id. T. II. p. 434. n. 365.
(160) Id. T. II. p. 428.
(161) Id. T. I. p. 169. n. 15: VILISA · CARILIA. n. 13: VIIꓘISA · CARTEIA. n. 14: VEꓘISA · VEDIA.
(162) Id. T. II. p. 221.
(163) Lanzi *Saggio* T. II. tab. XII. n. 5.
(164) Id. p. 396. n. 197.
(165) Müll. *Etr.* tab. III. n. 1. 2.
(166) *Inscr. Perus. mai.*

MƆIVꟼϟIΨ ([167]), ƎϟƆƎA ([168]), AƆϟƆIV ([169]) et ϟƆIV([170]), ϟƆA+A1([171]), AϟƆƎO([172]), VAПI+ϟƆƎϟ([173]), al. Quid? quod vel ‡Ɔ haud raro coniunguntur, V‡ƆПAꟼM ([174]), Iꟼ‡ƆƎB ([175]); semel vel eadem in inscriptione ([176]) reperio ‡ et ϟƆ : ƆƎꟼƆ : VMПAϟƆƎ-‡MƎƆƎ√8. Longe igitur frequentius hae litterarum coniunctiones reperiuntur, quam ut arbitrari possimus ‡ eundem sonum expressisse, quem ϟƆ vel Graecorum ξ.

Iam vero si de peculiari natura atque origine huius sibili, cuius in Etrusca tantum et Umbrica litteratura hanc reperimus formam, quaerendum videtur, praemoneamus, signum ‡ non posse factum esse ex Graeco Ξ, primum, quod hic tres, illic duae tantum lineae secant, deinde, id quod omnem litem dirimit, quoniam ‡ vel in antiquissimis Etruscis inscriptionibus reperitur, Ξ vero ante Euclidem + scribebatur, quod quum facile commisceri posset cum X vel + signo χῖ litterae, propterea duabus illis lineis adauctum videtur. Maxime autem notabilis est consensus signorum ‡ et +. Nam ut an-

---

(167) Lanz. T. II. p. 547.
(168) Id. p. 223. tab. XII. n. 3.
(169) Id. p. 400. n. 210.
(170) Id. n. 211.
(171) Id. p. 449.
(172) Id. p. 445.
(173) Id. p. 389.
(174) *Inscr. Perus.* in latere maiore l. 15. 16.
(175) Lanz. T. II. p. 514.
(176) Id. p. 532.

tiquissima illius litterae forma ╪, ita *t* litterae + fuisse videtur, saepissime tamen reperitur illius ‡, huius + obliqua forma; postero denique tempore iisdem semper in inscriptionibus reperitur ⅂ et Ⴤ ([177]). Quare quum in hac re potissimum discrepent Graecae et Etruscae *t* litterae signa, quod in illo linea aequa imposita est alteri, in hoc respondens linea alteram secat, veri mihi videtur quam simillimum, signum ‡ respondere Graecorum signo litterae ζ, quod ab initio fuit 𐌆 ([178]), deinde Z factum est; T enim ex + prorsus eadem ratione factum est, atque 𐌆 ex ╪. Ex ipso signo igitur aliquis coniecerit, pronuntiationem quoque litterae ‡ non multum abhorruisse a Graecorum ζ. Accedit autem, quod idem innuere videntur alia. Nomen, de quo supra iam commemoravimus, A‡IVƎƆ in alia inscriptione apud

---

([177]) Ita Eugubinarum tabularum I. et II. exhibent illam formam, III. et IV. hanc mutilatam.

([178]) Vide Boeckh. *Taf. der Inschrift. zum zweit. Bd. d. Sthh.* tab. I. n. II. l. 3. *C. I.* n. 30. cf. quae dicuntur ad *C. I.* n. 38. Eckh. *D. N.* T. I. p. CI. In numis vel admodum recentibus idem signum reperitur, vide Combe *Mus. Brit.* p. 33. n. 8: 𐌆ΩΓΥΡΙΩΝ, 9. 10: 𐌆Ω. 15: 𐌆ΟΡ; in numis Tarentinis. p. 77. n. 30. 31. 𐌆ΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ. Sestini *Class.* p. 15. in numis Salapiae; ΔΑ𐌆ΟΥ. Mionn. *Descr.* I. p. 376. ΒΥ𐌆ΑΝΤΙΩΝ, ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ, ΒΥ𐌆ΑΙ, ΒΥΖΑΣ. T. VII. pl. LXXIII. n. 3: 𐌆ΑΚΥΝΘΟΥ. pl. XLVI. n. 6: ΚΛΑ𐌆ΟΜΕΝΙΩΝ. Atque in ipsis vasis Volcorum Etruriae legitur 𐌆EVS (Luc. *Mus. Etr.* n. 530., non ΙΕΥΣ, ut refert Welcker. *Rhein. Mus.* 1832. p. 319.) et 𐌆VΧΣΙΠΠΟΣ (lege 𐌆VΧϟΙΠΠΟϟ i. e. Ζεύξιππος, in vase collectionis Dorowianae. Welck. l. l. hoc signum male habuit pro *i* littera.)

Lanzium ([179]) exhibetur VELIZZA, Osca ([180]), ut videtur, lingua. Osci nimirum in sua litteratura nusquam adhibent formam ‡, at novam addiderunt Z ([181]); quid igitur probabilius est, quam eiusdem esse litterae ad Graecum morem paullo mutatam formam? Denique cognatio nominum ([182]): *arnth* ([183]) vel *arnt*, *arntle*, *arnthal* et *arn‡le*, *arn‡nal*, *arun‡..*, *arn‡e* confirmare videtur, in his postremis verbis ‡ potius ζ quam ξ pronuntiandam esse.

Haec sententia eo quoque confirmatur, quod ζῆτα quidem apud omnes populos notiores antiquissima fuit littera, ξῖ vero apud nullum populum a principio in alphabetum recepta fuit littera. Satis recenti tempore apud Graecos + signum desiit χῖ litteram designare, atque etiam recentiore fortasse

---

([179]) *Saggio* T. I. p. 173.

([180]) Romani enim non tantum Etruscorum ‡ sed etiam Graecorum et Oscorum Z per S vel SS reddebant, priusquam ipsi hoc signum receperunt. Diomedes (p. 417.) ubi de adiecta Z littera loquitur: „Messentius, ait, et pitissare et tablissare et caetera huiusmodi usum veterem declarabant." Prisc. p. 552: „Antiquissimi quoque *Medentius* dicebant pro *Mezentius*. Quin etiam *s* simplex habet aliquam cum supradictis cognationem, unde saepe pro Z eam solemus geminatam ponere, ut *patrisso* pro πατρίζω, *pitisso* pro πιτίζω, *massa* pro μᾶζα." Adde Ζακύνθος, *Saguntus* (Schneider. I, 1. p. 41. 239.)

([181]) vide Muell. *Etr.* II. p. 352.

([182]) Lanz. T. II. p. 368. n. 100. 101. 102. 103. 104. p. 362. n. 77. 78. p. 363. n. 79. 81. al. Vermiglioli *Opusc.* IV. p. 68. 78. Muell. *Etr.* I. p. 429. n. 69.

([183]) Apud Romanos: *Aruns*, apud Graecos: Ἀῤῥοῦνς, vide Muell. *Etr.* I. p. 409., ut OᑐAᛚ (*larth*) vel +ᑐAᛚ (*lart*) apud Romanos: *Lars*.

tempore apud Romanos X signum incepit *cs* pronuntiari. Etenim id non potest dubium esse, Romanorum X signum idem esse ac Graecorum X, quod eadem forma *ξῖ* litteram designat in Graecis numis Naxi Siciliae ([184]). A principio vero tum Graecorum + vel X (*ξῖ*), tum Latinorum X nihil aliud fuisse nisi Graecis usitatum *χῖ* litterae signum, mihi est persuasissimum. Constat enim, *s* litteram apud Graecos tanto cum spiritu pronuntiatam esse, ut antecedentem quoque litteram aspiratam redderet, et Athenienses certe non *κσ* et *πσ*, ut Aeoles, sed *χσ* et *φσ* pronuntiarent. Antiquissimae igitur formae litterarum *ξ* et *ψ* reperiuntur Ψϟ ([185]) et Φϟ ([186]); quin etiam ΕΧΣΑΜΟ legitur pro *ἐκ Σάμου* ([187]). Quum vero circa tempus belli Persici vel paullò ante ([188]) has duas litterarum coniunctiones, quibus revera aliquid singulare inerat — Tϟ enim fieri non poterat Θϟ, quoniam ipsa lingualis *t* littera spiranti *s* tam propinqua erat, ut vel plane absorberetur, (cf. *σώμα(τ)σι*, *ἔπε(τ)σον*, *πεί(θ)σω*, *ἔλπι(δ)σι*) — simplicibus signis repraesentare vellent Graeci, *s* litteram prorsus omiserunt, et alteram, parva quidem facta mutatione, retinuerunt. Ita pro Ψ(ϟ) scripserunt + et pro simplice Ψ eodem fere tempore (c. Ol. 80.) X

---

(184) Eckh. *D. N.* I. p. CI. Mionn. *Descr.* T. VII. pl. XXXIV. n. 113. 114.

(185) vide supra. Boeckh. ad *C. I.* n. 3. cf. n. 165. sqq.

(186) vid. Boeckh. *Staatshh.* tab. I. n. 1. l. 3. tab. II. n. 3. l. 22. et *C. I. s. tit. Inscr. Attic.*

(187) Boeckh. *Staatshh.* tab. I. n. 1. l. 20. 34.

(188) Boeckh. ad *C. I.* n. 4.

(χῖ), quae quum littera (χῖ) interdum etiam + scriberetur ([189]), ξῖ Euclidis fere tempore (Ol. 94.) etiam magis distincta est duabus additis lineis (Ξ, postea Ξ factum). Φ(ϟ) autem scripserunt Ψ, orbem aperientes. Et hanc quidem litteram Romani nunquam receperunt; verum ξῖ litteram paullo post bellum Persicum (circa a. U. ccc.) quum litteraturam suam magna ex parte Graecae accommodarent, cum aliis receperunt, quam diu ([190]) quidem XS, deinde X tantum eos scripsisse, satis multa in veteribus Romanorum monumentis comprobant exempla ([191]), quae longe plura sunt, quam ut aliquis contendere possit, scriptorum hanc fuisse imperitiam, qualem in aliis deprehendas scripturis: *sozsomene, nuncquam, extincxit,* al. Mirum igitur, quod ne Schneiderus quidem, acutissimus harum rerum indagator, hoc animadvertit. In Graecis vasis Volcentibus a Luciano hucusque repraesentatis signum ↓ ter reperitur ([192]), ξῖ vero littera uno signo repraesentata nunquam, sed ubique +ϟ vel Xϟ ([193]), id quod prorsus accedit ad

---

(189) *C. I.* n. 8. 9. In antiquis Buxenti numis ap. Eckh. *D. N.* I. p. CI. Mionn. *Descr.* T. VII. pl. XXXII. n. 20. al.

(190) De tempore plura vide infra, ubi de antiquitate tabularum agitur.

(191) cf. Schneid. *Gr.* I, 1. p. 370. 374. et inprimis Grut. *Ind. Grammat. sub littera* s.

(192) Vide *Mus. Etrusque de Lucien Bonaparte, Prince de Canino. Vases peints avec inscriptions. Viterbe.* 1829. n. 1499: *Andromache.* 1500: *Achilei, Chiron.*

(193) Ibid. n. 1120: ϟ+INOΦ, *Phoenix*; 1434: XϟANΘOϟ, *Xanthus*; 1900: EXϟEKIAϟ EΠOEϟE; 1120: EV+ϟIΘEϟ EΠOIEϟEN. Adde IVXϟIΠΠOϟ in vase Dorowiano.

Romanorum antiquam scripturam *xs* in: *vixsit, saxsum, exstrad, Maxsimus* (ita in permultis numis), al. Semel hoc signum X in Latinis quoque Eugubii tabulis reperitur in postica tab. VII: PISI · PANVPEI · FRATREXS. Respondet huic vocabulo in tab. V. l. 23. et V *b*. l. 1. ƧꓘƎꓷ+ꓯꓷ8 (*fratreks*), id quod sententiam meam, quum necessarium videatur, etiam confirmat, non casu factum vel negligentia quadam, ut in veterrimis quibusque Romanis inscriptionibus *xs* scriberetur, ubi postea *x* sufficiebat.

Tres igitur apud Umbros reperimus sibilandi notas Ƨ, d, ⋕: tres etiam apud Etruscos exstitisse, primus docuit Muellerus ([194]) qui Ƨ et M non tantum sibilandi litteras ([195]) ambas, sed etiam diversas esse demonstravit.

Ut vero porro exploremus, qualem habuerint hae litterae, cum Graecis Latinisque sibilis comparatae, dignitatem, et quem inter ceteras litteras locum, necessarium videtur, ut ad Phoenicum alphabetum, inde a quo Graeci ceterique plurimi populi litteras receperunt, quaestionem revocemus. Phoenices enim, Hebraei, aliique orientales populi quatuor habent sibilos, qui in alphabeto ita se excipiunt: ז (*dsain*), ס (*samech*), צ (*thsade*), ש (*schin* vel *sin*). His de sibilis iam Buttmannus ([196]) recte monuit, *samech, thsade, sin,* manifeste respondere Graecis nominibus *sigma* (M, Σ, Ϲ, C, σ), *zeta* (Ι,

(194) *Etr.* T. II. p. 307.

(195) Lanz. T. I. p. 213. primus vidit, M non esse *m* sed *s* litteram. Neque vero differre putavit ab Ƨ.

(196) *Gr. Gr. mai.* T. II. p. 376.

Z) et *san* (Э), quorum postremum ἐπίσημον quidem equorum retinebatur. Est autem res nota, Graecos in ceteris omnibus fere eundem servasse ordinem litterarum, qui fuit apud Phoenices et Hebraeos. Quos enim in vocalium Graecarum locis varios spiritus videmus in alphabeto Hebraeorum, de iis perlegas, quae praeclare disseruit Koppius ([197]). Illa enim, ut apud ceteros populos, a principio vocalium signa fuisse, luce clarius demonstravit. Litteras autem Graecorum ipsas Hebraico ordine compositas exhibuisse iuvabit.

(Vide sequentem paginam.)

Unum hic desideramus signum, quod respondeat litterae dsain, atque praeterea transpositio litterarum M et I notanda. Litteram + (Ξ), cuius signum postero tempore ex Ψ (χῖ) signo factum vidimus, iure hic omittimus, neque quisquam sibi persuadebit, vel sonum ΨΣ vel signum +, vel denique nomen ξῖ aliquid habere commune cum dsain littera. Adfuisse tamen aliquando in Graeco quoque alphabeto inter F et H sibilantem litteram, inde apparet, quod locum quidem servarunt atque aliam sibilantem inserere iis necessarium visum est. Et quod ipsum thsade (zeta) huc transponendum elegerunt, innuere videtur, dsain ob nimis illi similem pronuntiationem apud Graecos abolevisse vel a Phoenicibus non receptam esse. San quoque litteram nunquam apud Graecos in pronuntiatione a sigmate diversam fuisse puto, quamvis signum Phoenicium ἐπίσημον re-

---

(197) *Bilder und Schriften des Orients* T. II. p. 110. sqq. 128.

Phoen.			
		A	alef
		B	bet
		Γ	gimel
		Δ	dalet
		E	(he)
		(F) (198)	waw
[illegible]	ז dsain	(Ⲓ)	
		H (199)	chet
		Θ	thet
		I	jod
		K	caf
		Λ	lamed
		M	mem
		Ͷ	nun
[illegible]	ס samech (sigma)	M (+)	
		O	(ghain)
		Π	fe (pe)
[illegible]	צ thsade (zeta)	Ⲓ	
		(Ϙ) (200)	kof
		P	resch
[illegible]	ש schin (san)	(Ͻ) (M)	
		T	taw

(198) Digamma postea exolevit, locum tamen retinuit ϛ signum numerale ex C ortum. vide Boeckh. *Sthh.* II. p. 383.

(199) η hic inserebatur, quoniam locus et signum supererant et H signum non amplius ad spiritum significandum adhibebatur.

(200) Ϙ apud Graecos ἐπίσημον semper remansit, diu etiam in numis Crotonis, Syracusarum, al.

tinuerint. Herodotus ([201]) vel tradit, prorsus eiusdem litterae diversa tantum nomina fuisse, his verbis: τὸ γράμμα, τὸ Δωριέες μὲν σὰν καλέουσι, Ἴωνες δὲ σίγμα, etc. Itaque sigma et san quoque, ut zeta et dsain, propter cognationem sonorum in unum coaluerunt, nec valde mirabile videtur, si ea ipsa duo signa, quae ex quatuor supererant, utrumque in locum alterius expulsi migraverunt, neque enim casu hanc duplicem commutationem factam puto. Duo igitur loca iam vacua erant atque tum temporis Romani alphabetum receperunt, quum apud hos se excipiant litterae *n*, -, *o*, *p*, -, *q*. Postea autem nova inveniebantur signa ξῖ et ψῖ, quorum illud, quum, ut satis apparet, consueta loca rursus explere valde adamarent, inter νῦ et ὂ μικρὸν inserebatur: modo ne quis aliam inter hanc litteram et hunc locum suspicetur coniunctionem ([202]). Romani quidem, quum aliis uterentur numeralibus signis, suum huic litterae in fine alphabeti locum tribuerunt. Verum post πῖ litteram, ubi zeta quondam locum tenuerat, nunquam alia inserta est littera, quamvis non absonum videretur, si ut supra ξῖ, hic ψῖ numerata esset. ϡ vero signum, suo loco depulsum, inter notas numerales post ω posita, 900 significat.

Restat, ut inquiramus, an vestigium quidem in Graeca litteratura dsain litterae reperiatur, quum

---

(201) I. I. c. 139. cf. Boeckh. *Sthh.* II. p. 386. *C. I.* n. 25.

(202) Buttmannus *Gr. Gr. mai.* T. II. p. 376. et Muell. *Etr.* II. p. 308. n. 79. in eo dissentiunt, quod dsain Hebraeorum ad formam quidem recognoscere sibi videntur in ξ signo, sed Boeckh. *Sthh.* T. II. p. 386. secus certe intelligi voluit, quam aliis visum est.

unica certe esset, cuius ne signum quidem a Phoenicibus ad Graecos esset propagatum. Proficiscimur autem hac in quaestione ab Etrusco et Umbrico alphabeto ([203]), ubi tres litteras sibilandi reperivimus: 𐌔, M, ǂ et 𐌔, d, ǂ, quibus comparatis apparet, M Etruscorum et d Umbrorum sibi respondere. Id vero dubium esse non potest, M Etruscorum idem esse signum, atque M Graecorum i. e. samech Hebraeorum. M postea Graeci in Σ, C, C, σ converterunt, ad exemplum, ut videtur, Hebraeorum, qui quum ad sinistram scriberent, eandem litteram ס ([204]) formabant. Etrusci semper erectum retinuerunt signum M; Umbri vero Hebraica forma (ס) erecta usi esse videntur (d). De littera ǂ supra exposuimus, nonnisi ex I littera eam natam esse posse. Tertium igitur restat signum 𐌔, quod profecto nulla ratione ex Σ signo fieri potuit, quum Etruscum M nunquam Σ, ut idem signum apud Graecos, vel Ʒ scriptum sit, et vel in antiquissimis ([205]) inscriptionibus M et 𐌔 una reperiantur. Verum enim vero id nemo opinabitur, pronuntiationis postero demum tempore discrimen exstitisse in his litteris: quare si

---

(203) Osci, ut Graeci, duas distinguebant sibilandi litteras 𐌔 et Z, Latinae quoque tabulae Eugubinae duas S et Ś, respondentes eas Etruscorum 𐌔 et M (𐌔 et d); Romani solam retinuerunt S (Z enim ad Graecas tantum voces adhibebant.)

(204) Hebraeorum scripturam quadratam multo iuniorem esse, quam vulgata est opinio, docuit Koppius. *Bild. und Schrift.* T. II. p. 160 sqq.

(205) Lanzi. T. II. p. 391. n. 190. 191. 192. 197. al. cf. Muell. *Etr.* T. II. p. 307.

primitivam pronuntiandi diversitatem conservarunt, consentaneum est, primitiva quoque signa eos conservasse. Inter sin autem et dsain quum eligi tantum possit, nullam omnino prae se fert formae similitudinem sin (Phoen. 𐤔) vel Graecum san (Ǝ), maximam contra dsain ז, cuius Persica forma ς (deinde ʃ, ς) fuit (206), Phoenicum (207) 𐤆, \. Qua de caussa non dubito, Etruscorum Umbrorumque Ƨ signum quin non ortum ex M Etruscorum, vel Σ Graecorum, sed superstes sit litterae dsain nota. Atvero eandem formam apud Graecos quoque reperimus. Et quoniam apud hos eadem licet vice atque M vel Σ adhibitam invenimus, tempore tamen sane vetustiore (208), quam ut depravata esse possit ex ipso Σ signo, dsain litterae vestigium vel in hac Graecorum nota agnoscendum puto, et locorum (209) po-

(206) Kopp. *Bild. und Schrift.* T. II. p. 383.

(207) Ut apud Phoenices ex ɥ signo I factum est, ita apud Graecos antiquissima ι litterae (I) signum ɥ fuit. Vide Boeckh. *C. I.* n. 3. 4. 5. al.

(208) Boeckh. *C. I.* n. 8. 9. 10. 11. 25. al. Inprimis etiam antiquissimae Boeoticae inscriptiones, n. 1599. 1639. 1640. 1644. 1649. al., in quibus constanter Ƨ reperitur, demonstrant, hoc signum antiquius fuisse, quam Σ, quod, ut per totam deinde Graeciam, in ceteris Boeoticis quoque inscriptionibus usurpatur. Cf. etiam Villois. *Anecd.* T. II. p. 167.

(209) Magna profecto his in rebus fuit *locorum* differentia, et maxime anceps mihi videtur, inscriptionum variis in terris repertarum aetatem velle constituere ex litteris quibusdam vel antiquissimae formae. Longe gravioris hac in quaestione momenti sunt recentiores formae litterarum, quippe quae adhiberi non poterant, antequam inventae erant. Veterrima enim signa diutissime saepe retinebantur certis in locis, id quod Italica litteratura tum Roma-

tius, quam temporum diversitatem effecisse suspicor, ut haec vel illa nota scriberetur — neque enim iisdem in monumentis M vel Σ et ϟ reperitur —.

Umbricum igitur alphabetum, si ad Hebraeorum ordinem disponimus, cum ceteris alphabetis ita componendum videtur.

	Umbr.	*Etrusc.*	*Osc.*	*Rom.*	*Umbr. Lat.*	*Graec.*
	𐌀	𐌀	𐌀	A	A	A
	8	-	8	B	B	B
	-	-	>	C (G)	C (G)	Γ
dalet.	ꟼ	-	Я	D	D	D (Δ)
	𐌄	𐌄	Ǝ	E	E	E
	Ↄ	ꟻ	Ↄ	F	F	(F)
dsain.	𐌆	𐌆	𐌆	S	S	(ϟ)
	⊖	⦸	𐌇	H	H	(H)
	Θ?	Θ	⊓ꜙ	-	-	Θ
	I	I	⊢	I	I	ꞁ (I)
	ƆI	ꓘ	ꓘ	K	-	K
	⅃	⅃	⅃	L	L	L (Λ)
	𐌌	m	𐌌	M	M	M
	И	И	И	N	N	N
samech.	d	M	-	-	Ϫ	M (Σ)
	V	V	V	O	O	O
	1	1	Π	P	P	Π

norum tum Magnae Graeciae luculenter evincit. Similiter factum puto multis in locis ipsius Graeciae, atque in iis potissimum, quorum Ioniae atque Atticae minor erat adpulsus. Quare si in Doricis Italicisve inscriptionibus antiquiora et recentiora signa coniuncta reperimus, non iudicabimus, quae hucusque recentiora visa sint, hoc loco iam prius adhibita esse, sed antiquiora hic esse retenta.

	Umbr.	Etrusc.	Osc.	Rom.	Umbr. Lat.	Graec.
thsade.	‡	‡	Z	-	-	I (Z)
	-	-	-	Q	Ϙ	(Ϙ)
	ɑ	ɑ (ᑫ)	ɑ	R	R	P
sin.	-	-	-	-	-	(Э)
	†	+	T	T	T	T
Accedunt:						
	-	-	-	V	V	V (Y)
	8	8	8	-	-	Φ
	-	↓	-	X	X	↓ (X, +)
	-	-	-	(X)	-	+ (Ξ)
	-	-	-	-	-	Ψ
	-	-	-	-	-	Ω

Qua in dispositione quum in Etrusco, Umbrico, Osco alphabeto V signum in loco XVI., in Graeco et Latino inter accedentes litteras posuerim, opus est, ut hac de re aliquid adiiciam.

20. 23. V in tabulis Umbrice scriptis solam *u* vocalem significare, supra vidimus; in Latinis vero tabulis simul vocalem et consonantem *v* exprimit, accessitque praeterea vocalis *o*. Quaestio exoritur, utrum Etrusci, Umbri, Osci atque tota fere Italia a principio quidem *o* litteram habuerint, deinde abiecerint, a Romanis denique rursus receperint, an a primis inde temporibus eam non habuerint.

Atque quum alibi contenderimus, facile nullum olim fuisse populum, qui scripserit litteram aliter atque pronuntiaverit, speciose iam aliquis obiecerit, ante Ol. 94, 2. et *ο* et *ω* et *ου* litteras per solum *ο* signum, *ε* et *η* et *ει* per solum *ε* signum scriptas esse.

Et verum hoc quidem, aliqua certe ex parte. Sed accuratius hac de re videamus. Apparet autem, omnia signa, quae Graeci ad Phoenicum alphabetum insuper adiecerint, ex ipsis tamen Punicis progenita esse [210], excepto uno Y signo, quod in antiquissimis inscriptionibus [211] V, deinde Y [212] scribebatur. Hoc enim nullum habet signum, ex quo proficisci potuerit. Magnam vero coniunctionem exstitisse inter litteras *ο* et *υ*, nemo non videt. Non tantum O signum olim *u* litteram significavit, sed demonstrari potest, Y quoque signum, ut ad formam Romanam Etruscamque (V), ita ad sonum olim accessisse, ita ut O et Y eiusdem litterae fuerint signa. Accedit, quod in cognatis linguis omnibus *u* littera antiquior et magis quasi nativa est, quam *o*, et Sanscrita Gothicaque lingua ne habuerunt quidem meram brevem vocalem *o*, sed longam tantum, quae iuniorem prae se fert originem [213], ut omnes diphthongi. Atque nihilominus Graeci O litteram in primitivum alphabetum receperunt, V tanquam recentem et ab ipsis inventam post *ταῦ*,

---

(210) Ex Π factum est: Ш, Ф, Φ, ex Φ: Ψ, ex K (ꓘ in numis antiquis Agrigenti, Mionn. *Descr.* T. VII. pl. XXXIII. n. 71. 75. Sest. *Class.* tab. II. n. 76. et in perantiquo Chalcedonis, Eckhel. *D. N.* I. p. C.) factum est Ѱ, Y, +, X; + vel X deinde etiam *ξῖ* significabat, quod postea Ξ, Ξ factum; Ω, originem suam prae se fert, atque *η* littera ipsam alius litterae formam immutatam induit. cf. Buttm. *Gr. mai.* P. II. p. 377. et Bourquet *in Diss. Corton.* T. I. p. 10.

(211) *C. I.* n. 1. 3. 4. 5. 8. al.

(212) *C. I.* n. 7. 10. 20. 25.

(213) Vide Grimm. *Gr.* I. p. 594. 595.

quae est postrema primitivi alphabeti, adiunxerunt? Et hanc a Graecis demum adiectam litteram Italia quoque antiquissima postremo loco posuit, quamvis O littera prorsus caruerit? Claram hac in quaestione lucem effundit comparatio litterarum Orientalium ([214]), unde apparet, O et V ab initio idem signum eiusdem litterae ([215]), atque unum fuisse ex illis, a Koppio ([216]) compositis, quorum superior pars ab initio fuit orbis clausus, in aliis deinde alphabetis hians. Littera enim *b* apud Phoenices 9, apud Aramaeos ყ, littera *d* ٩ deinde Ц, ajin O deinde U, kôf ٩ deinde Ч depingebantur. In Hebraeorum autem alphabeto locum XVI. tenet ajin, quam litteram Phoenices O (Ꝺ ([217]), ◊) ut Graeci *ὁ μικρὸν* designant, Hebraei veteres O et ∇; Aramaei aperiunt orbem (U) et simillimum reddunt signum Graecorum antiquissimae formae V, quam Etrusci et Latini retinuerunt; Palmyreni eidem ajin litterae prorsus ut postea etiam Graeci lineam addunt, ut si Palmyrenum signum (ყ) dextrorsum vertis secundum Graecam scripturam, habebis Graecorum signum

---

(214) Kopp. *Bild. und Schrift.* II. p. 392.

(215) Suspicionem hac de re iam moverunt Barthelemy *Hist. de l'Acad. des Inscr.* T. XXIII. p. 420. et Villois. *Anecd.* T. II. p. 170. 301., uterque vero nisus in spuriis Fourmontii inscriptionibus cf. Buttm. *Gr. Gr. mai.* T. II. p. 380.

(216) *Bild. und Schrift.* T. II. p. 162.

(217) Persimilem formam Ꝺ exhibent numi Nicopolis et Marcianopolis Moesiae urbium, vide Eckh. *D. N.* I. p. CI. Iuniores tamen sunt, ideoque vix historicam cognationem aliquis suspicetur inter has duas formas. Videtur potius Ꝺ scriptum pro OV, unde facillime postea 8 (ου) fieri potuit.

ᛉ, id quod deinde Y formarunt. Alia alphabeta magis sinistrorsum reclinant; Hebraeorum autem vulgata scriptura rursus ad Graecam Y accedit et ע exhibet. Ad Graecos igitur et clausa et aperta huius litterae forma propagata est, aperta serius, quare post *ταῦ* litteram reposita est. Ambo profecto signa diu *u* sonum exprimebant, fortasse diversis tamen in locis, ut suspicati sumus etiam de dsain et san litteris ([218]). Atvero sensim hic sonus in duas abiit partes, quarum altera ad *a* magis accedens O, altera ad *i* magis accedens V designabatur. Ita factum est, ut iam nullum haberent signum ipsius *u* soni, quem deinde ambobus signis *ου* exprimebant. Id vero non praetermittendum videtur, hanc duplicem permutationem non simul in omnibus dialectis atque eadem ratione factam esse. Nam quum ex duabus magnis Graecarum dialectorum partibus, altera Aeolicam, Doricamque complectens, antiquissimam linguae formam, ut cognatarum linguarum comparatio evincit, plerumque integriorem retinuerit, altera Ionica, quae maxima ex parte in Atticam quoque terram deinde ingruit, ab illa recesserit, linguales universas sibilans ([219]), vocales acuens et attenuans ([220]), miroque

---

([218]) Ita **Muellerus** *Etr.* II. p. 295. not. 18. *γ* litterae C formam Doriensibus maxime in usu fuisse putat.

([219]) *δυγὸς*, *ζυγὸς*; *Δεὺς*, *Ζεὺς*; *Fίκατι*, *εἴκοσι*; *τοὺ*, *σὺ*; dor. *ἔωντι*, *ἔχωντι*, boeot. *ἴωνθι*, *ἔχωνθι*, ion. *ἔωσι*, *ἔχωσι*; *γραμματίδδω*, *γραμματίζω*. cf. **Boeckh.** *C. I.* p. 724. goth. *tuggo*, ahd. *zunga*; goth. *vato*, ahd. *wazar*; goth. *suti*, ahd. *suozi*. cf. **Grimm.** *Gr.* I. p. 152. al.

([220]) *α* mutatur in *η* (*Ἀθάνα*, *νικάσας*) vel in *ε* (*ἴαρος*, *γὰ*, *κὰ*)

harum rerum consensu eandem viam ingrediens, quam Germanicae quoque eae dialecti, quae altiorem politioremque consecutae sunt culturam ([221]): huc etiam pertinere arbitror, quod apud Iones primos V litera ad *i* vocalem appropinquasse videtur, quae apud Aeoles et Dores multo diutius pristinam servavit pronuntiationem. Itaque posteaquam Ionicae inductae sunt litterae, Boeoticae inscriptiones exhibent *κούνες, σούν, κάρουξ, τού, Διωνούσιος* ([222]), unde patet, in antiquissimis titulis KVDILLE (*C. I.* n. 1643.) legendum esse *Kudille*, ΔIONVSOE (n. 1599.): *Dionusoe* ([223]). O vero signum mature profecto non amplius *u* sed *o* litteram significavit, semperque retinuit. Ionicum os, ut Y litterae pronuntiationem attenuavit, et KVNES non Aeolum more *kunes* sed *κύνες* pronuntiavit, ita O signo primitivum rursus *u* sonum vindicasse videtur. Scribebant igitur *Λέτος* (*C. I.* n. 1.), *Υνάσιο* (n. 2.), HE*ρμοκράτος* (n. 8.), *ὀδενί* (n. 26.), legebant: *Λητοῦς, Ὑνασίου, Ἑρμοκράτους, οὐδενί.* His omnibus in verbis Aeoles antiquiorem servarunt pronuntiationem, quum etiam post invectas litteras

---

quocum in Germanicis linguis efficientia vocalis *i* comparari potest. In contractionibus ex *εε* non fit *η*, sed *ει*, pariterque ex *ε* producta (*ἐποίεε, ἐποίει; ἐς, εἰς; τύπτεν, τύπτειν; τυφθένς, τυφθείς*). Ex *α* et *ο* vel *ω* apud Dorienses fit *α* (*Ποσειδᾶν, τᾶν*), apud Iones *ω*; *ο* producunt illi in *ω* (*τύπτωσα*), hi in *ου*.

(221) *Die hochdeutschen Dialecte.*

(222) Boeckh. *C. I.* n. 1583. 1569 *a.* cf. p. 722. Muell. *Dor.* II. p. 518.

(223) Bonap. *Mus. Etr.* n. 1003: KAIBVLOS. *Rapporto del Prof. Gerhard in Annal. dell' Instit.* 1831. n. 636: XLIBVLOS. Welcker l. l. p. 320.

Ionicas scriberent: Εὔβωλος (Εὔβουλος), τῶ πολέμω (τοῦ πολέμου), ἐςγόνως (ἐςγόνους) (224). Semper praecesserunt autem Iones in pronuntiatione subtilius excolenda et polienda. Hi igitur primi tres distinxerunt sonos *o*, *u* et *ue*, quos tribus etiam signis primi designarunt O, OY, Y. Quae quidem scriptura simul cum pronuntiatione in Attica quoque deinde invaluit. Simillima profecto non scribendi tantum, sed pronuntiandi transitio fuit in litteris ε et ει, quum olim legeretur aeque ac scriberetur ἐς, τύπτεν, al. (225). Quare iam licet revertere ad eam, a qua profecti sumus, sententiam, veterem vix reperiri linguam vel dialectum, in qua per longius temporis spatium litteratura non assecuta sit pronuntiationis ubertatem et subtilitatem. Simul vero apparuisse credo, quo iure V signum Etrusci, Umbrici, Osci alphabeti in loco XVI. posuerim.

DE TEMPORE, QUO INSCRIPTAE SUNT TABULAE.

Posteaquam singulas recensuimus litteras, earumque pronuntiationem exploravimus, iam cui tempori tum formae litterarum tum ipsius linguae ratio maxime conveniant, inquirendum restat. Apparebit autem

(224) Vide Boeckh. *C. I.* p. 724.
(225) Gregor. Korinth. ed. Schaef. p. 308.

ex sequentibus, id quod iam in praecedentibus passim animadvertere licebat, omnium fere Italiae tum scripturarum, tum linguarum fuisse communitatem quandam progressionis. Vel inter Graecam Etruscamque litteraturam non modo primitivam coniunctionem sed etiam perpetuum aliquod commercium exstitisse, affirmavit O. Muellerus ([226]). Qua de caussa non vereor, ne temere agendi vituperationem laturus sim, si ex formis litterarum, comparatis ceteris Italicis, inprimis Etruscis litteris, adhibitisque etiam Graecis, conclusionem efficere conor, de tempore, quo scriptae videantur tabulae. Accedunt autem ad formas litterarum nonnullae ipsius linguae mutationes, quae argumentandi nobis copiam facient. Multorum ita indiciorum consensu tempus certe constituere licebit, quod ultra citraque haec monumenta inscripta esse nequeunt.

Praemittamus igitur Umbrice scriptas tabulas, in quibus aliae litterae, ut 8, d, ꟼ, Λ, quippe quae Umbris videntur peculiares fuisse, omnino nullam admittunt comparationem, aliae, ut, 8, I, 1, ᗡ, Ƨ, V, in Etruscis tum antiquissimis, tum recentissimis monumentis formis prorsus iisdem conspiciuntur, aliae denique diversis quidem formis exhibitae sunt, iis tamen incertis, cui quaeque aetati tribuenda sit. Paucae tantum restant, quas ad temporum rationem revocare licet.

A littera in nonnullis antiquissimis sepulcrorum

([226]) *Etr.* II. p. 292.

titulis ([227]) scribitur A, in longe plurimis, neque iis recentissimis ([228]), ut in nostris tabulis A.

K nondum in iuniorem formam C ([229]), quam in omnibus fere Etruscorum sepulcris, speculis aliisque monumentis reperimus, commutatum est. In antiquissimis tantum inscriptionibus ([230]), nonnullisque Graecos maxime heroes repraesentantibus speculis reperitur. Iuniorem illam et vulgatam Etruscorum scripturam Muellerus ([231]) circa a. U. 280 increbuisse suspicatus est, idem vero adiecit, haud raro in serioribus quoque monumentis antiquiores istas litteras inveniri, id quod ad nostras tabulas adhibere non dubito, quae iuniores certe illo tempore cognoscuntur.

E litterae signa quamvis paullo varientur, nulla tamen cum fide indicari potest, quae sit antiquior, quae iunior forma.

([227]) Lanzi. T. I. tab. III. n. I. III. tab. II. n. 188. 192.

([228]) Id. T. II. n. 189. 191. 194. 195. al.

([229]) Maiorem hac in re observare licet Etruscae litteraturae cognationem cum litteratura Siciliae et Magnae Graeciae, quam ipsius Graeciae, quum C signum aliunde non potuerit proficisci, nisi ex forma γ litterae, quam veterrimi numi Agrigenti, Gelae, Rhegii, Segestae constanter C, reliqua Graecia fere omnino non exhibet. (In vase Corinthio *C. I.* n. 7., in quo ACAMEMNON scribitur, alia quoque offendunt.) Apud Etruscos enim pariter atque apud Romanos C non esse depravatum ex K (IC), in cuius vicem deinde successit, sed Graecorum gammatis signum (Λ, ᛚ, Γ, <, C) esse, evincit Romanum alphabetum, in quo K locum decimum, C locum tertium accepit. ⊏ quoque pro F haud scio an nusquam in ipsa Graecia reperiatur, at in Magna Graecia in usu fuit.

([230]) Lanzi. II. n. 189. 191. 192. 194. 197.

([231]) *Etr.* II. p. 311.

ᖷ littera in tabulis nostris semper Ↄ scribitur, sed licet primis temporibus ᖷ tantum in usu fuerit, mature tamen ambo signa alternant iisdem in sepulcris. Quid? quod in recentibus inscriptionibus Perusinis, bilinguibus, omnibusque longioribus (232) constanter ᖷ exhibetur. Quare Ↄ non antiquissima quidem, antiquior tamen forma videtur.

8 num in monumentis mere Etruscis etiam Graeco signo Φ scriptum deprehendatur, valde dubito. Siquidem, ut alii putant, alternant ambo signa, antiquius profecto est Φ signum, quippe quod antiquissimum est Graecae φ litterae. At quae ipse perlustravi Etruscorum monumenta, hanc mihi sententiam probare non potuerunt. In vetustissimis Graecis inscriptionibus inveniuntur formae ◫ (233), Φ vel Φ (234) et ф (235). Hanc formam in ⊖, deinde in 8 et 8 Etruscos vertisse, dicunt Ligorius, Lanzius, Muellerus. At primum illae inscriptiones, in quibus ⊘ pro 8 sibi deprehendisse videntur, nequaquam inter antiquiores referendae sunt, id quod exspectaveris tamen, quum ne una quidem unam ex antiquis litteris A, Ӿ, M, И, al. exhibeat: omnes potius ad ceteras prorsus accedunt, quae vulgata scriptura conspiciuntur. Haec vero vulgata et iunior scriptura ceteroqui constanter 8 *f* litterae et ⊘ *h* litterae notas distinguit: nisi quod in gemmis nonnullis, quae profecto non tam antiquitate artificii vel litterarum

(232) Lanzi. II. n. 470. 471. 472.

(233) *C. I.* n. 11.

(234) *C. I.* n. 1. 8. 10. 15. 17. 27. al.

(235) *C. I.* n. 7. 32.

— iuniores enim facile agnoscuntur —, quam Graeca arte conspicuae sunt, nomina *Pherse* (Perseus), *Phulnice* (Polynices), *Amphtiare* (Amphiaraus), neque 8 neque ⦸ signo, sed consueto Graeco signo Φ scripta sunt, id quod nostram auget potius, quam minuit suspicionem, 8 signum Etruscis, Umbris, Oscis fuisse proprium, Φ sero tantum ex ipsa Graeca litteratura invectum esse ([236]). Quid? quod ne primitiva quidem cognatio signorum 8 Etruriae et Φ vel Φ Graeciae evinci potest, quum neque apud Etruscos antiquior aliqua forma ⊖ vel ⊖ indicari possit, neque apud Graecos similis huius litterae commutatio unquam reperiatur. Osci, qui aliis in litteris

---

([236]) **Muellerus** in suam rem attulit, in Etruscis sepulcris nomen I+ϨA8 et I+ϨA⦸ reperiri (cf. **Lanz.** T. II. n. 43. 224. 225. 231. 232. 233. 237. 264. 274. 418. 431. et p. 283.), at quum tot aliis in titulis 8 et ⦸ coniungantur, atque ne minima quidem discrepantia signi ⦸ deprehendatur, ubi *h* et ubi *ph* significari putant, quum in Umbrica quoque et Osca litteratura neutiquam hae litterae commisceantur, quum denique illud nomen etiam I+ϨA目 (n. 233. et p. 283.) scriptum reperiatur, mihi persuasum est, diversas fuisse gentes, alteram Fastinam, alteram Hastinam dictam. 目 enim, ut in Graeca antiquissima, ita in Etrusca Oscaque litteratura notum est signum *h* litterae, nunquam *φ*. ᑎƎ⦸ƎƆ (**Lanz.** II. p. 509.) et ᑎƎ⊟ƎƆ (p. 514.) **Muellerus** (*Etr.* II. p. 298. n. 36.) legit: *cephen*, quamquam in altera Perusina etiam VᑎA8 invenitur, de lectione igitur: *cehen* dubitari nequit. Signum vero Φ (L. n. 191. ϟVIYϘV ϤIAVAꓘIM, 292: ϨVƆƎΦ, 357: ϨVϨƎΦ) nihil est aliud, nisi *th*, quod alibi Φ (n. 139. 140. 141.) scribitur; eandem enim notam etiam reperies in voce IΦDAV i. e. *larthi*, (n. 220.) Quare nomen ϨVƆƎΦ non verti potest *Vesius*, ut **Lanzius** vult (neque enim ϨVƆƎƎ legitur), sed legendum: *thecus* et componendum cum nomine: *thesca* (n. 416.). I+ϨAΦ autem (n. 224.), si recte a **Lanzio** repraesentatur, legendum est: *thasti*. cf. *thasna* (n. 136.).

formandis propius accedunt ad Graecam litteraturam (cf. 8, >, И, Π, Я, T), in hoc signo vel magis recedunt, quum eandem litteram 8 depingant; atque si quae Graecorum nomina in Etruria scripta repeiuntur, satis mire non Etruscum 8 signum, sed ipsum Graecum Φ exaratum videmus. Legitur in numis Sabinis: ИИIИI8ИƧ, unde coniiciat aliquis, arctiorem inter 8 et 8 cognationem.

Θ, si Dempsterum sequimur, bis in tabulis invenitur, et bis a Dempstero cum puncto exhibetur. Iuniora tamen Etruscorum monumenta plerumque omittunt punctum, et formam O exhibent.

Ⅿ et И formae in antiquissimis Etruscorum monumentis Ⅿ et И, ut olim apud Graecos quoque, scribuntur. Mox tamen antiqua haec forma evanuisse videtur, atque eodem fere tempore i.e. circa a.U. 280, quo Graeci eam cum M forma commutarunt, apud Etruscos M invaluisse videtur. cf. Muell. *Etr.* II. p. 304. 310.

Ƨ litteram aeque antiquam esse, quam M, quae nostris in tabulis non reperitur, supra demonstravimus.

† et ‡ a Graecis semper scribuntur T et I (Z), quarum formarum in Etruscis monumentis nulla exstant vestigia. Videtur autem haec Etrusca et Umbrica forma etiam antiquior quam Graeca, quum † vel + (237) prorsus accedat ad Phoenicum + (238).

(237) Lanz. n. 197. 292. 293. al.

(238) Vide Kopp. II. p. 398. — Si cetera perlustramus signa, reperimus A, Ǝ, ᖷ, B, Ж, J, Ⅿ, И, ◁ (ᑫ), M, Ƨ, V, ↓ in veterrimis Graecis atque Etruscis inscriptionibus fere eadem (nam

Haec mihi satis probasse videntur, eam, quam tabulae Eugubinae exhibent, Umbricam litteraturam, antiquissimis non adiudicari posse temporibus, sed post tertium ab Urbe condita saeculum finitum eam ponendam esse, neque vero recentissimis magis convenire temporibus, quum C, O, Y et alia signa, quae passim in monumentis iunioribus, hic non reperiantur.

Tempus autem, post quod hae tabulae Umbrice scriptae poni non posse videntur, melius ex ipsius linguae quadam permutatione constitui potest.

De multis enim Latinis verbis compertum habemus, in quibus olim *s*, postea *r* pronuntiatum sit, ut ipsi veteres ([239]) referunt et monumenta ([240]) con-

---

etiam extrema illa lineola litterae Ⲙ, quam Muellerus p. 304. ab Etruscis additam dicit, reperitur *C. I.* n. 3.); differunt autem I (Ⴙ), 1 (Ⴈ), ✝ (T), ⧧ (I), 8 (Ⲙ). Ex iunioribus Graecorum formis: A, H, Λ, M, N, Σ, Y, X, R, Z, Π, Φ, C Etrusci C tantum receperunt, et Φ litteram in nonnullis Graecis nominibus admisisse videntur. Graeci vero nullam ex Etruscis signis iunioribus: A, Ɔ, ⊘, M, Ⴖ, Ⴤ, ᖷ receperunt. Ad Phoenicum alphabetum accedunt Etruscae litterae Ǝ (Ǝ), Ḫ (Ḫ, B), ꓘ (ꓘ), ⅃ (⅃), Ⲙ (Ⲙ), Ⲙ (Ⲙ, Ⴤ), 1, ᑫ (ᑫ, ᑫ), ✝ (✝), Graecae: 1 (1), Ɑ ([illegible]), Ǝ, B, ꓘ, ⅃, Ⲙ, Ⲙ, O (O), ᑫ. Apparet inde, maiorem certe olim similitudinem inter Etruscum Graecumque alphabetum intercessisse, quam inter Etruscum Punicumque, commercium tamen, quod Muellerus (II. p. 292.) etiam posterioribus temporibus agnoscendum putat inter Etruscum Graecumque alphabetum, non ita magnum fuisse; quum utrumque suam maxime viam persecutum sit.

([239]) Varr. Cic. Liv. Quintil. Macrob. Prisc. Fest. Terent. Scaur. Dionys. Halic.

([240]) Carm. fratr. Arval: *Lases*; Legg. antiqu: *loebesom, asam, maiosed*, al.

firmare videntur, cf. *plisima*, *Fusius*, *Σπούσιος*, *lases*, *fesiae*, *pignosa*, *melios*, *ianitos*, *arbos*, *honos*, *labos*, *quaeso*, al., quorum complura etiam postea non prorsus exoleverunt, alia *r* receperunt, quamvis in aliis eiusdem stirpis vocibus *s* servata sit, ut *auris*, *ausculto*, *gero*, *gestum*, *uro*, *ustum*, *haurio*, *haustum*. Prorsus eandem commutationem in Umbrica quoque lingua observare licet, qua de re infra agemus. Permulta enim vocabula in tabulis Umbrice scriptis *s* litteram exhibent, in Latine scriptis *r* litteram. Tab. I. his verbis incipit: *Este: persklum: aves: anxeriat*-es: *enetu:*, et sequuntur lin. 2: *Prever*-es: *treplan*-es: etc. His respondet initium tabulae VI: *Este*. *persclo*. *aveis*. *asceriat*-er. *enetu:* et: *Pre*. *ver*-ir. *treblan*-ir. Inter tempora igitur, quibus hae duae tabularum partes inscriptae sunt, hanc conversionem factam esse, pro certo habere possumus. Quando autem in Latina lingua haec commutatio facta sit, ea de re consulendi sunt Livius in Histor. lib. III. c. 4. et 8. (241), unde apparet, a. U. 292 in nominibus quidem propriis *r* nondum cum *s* commutatam esse, Pompo-

---

(241) c. 4: „Consules inde (a. u. 290.) A. Postumius Albus, Sp. Furius Fusus. Furios Fusios scripsere quidam. id admoneo, ne quis immutationem virorum ipsorum esse, quae nominum est, putet." c. 8: „P. Valerius Publicola (a. u. 292.) consules creat L. Lucretium Tricipitinum et T. Veturium Geminum; sive ille Vetusius fuit." Nomen ipsum Fusii factum videtur ex apposito nomine Fusi, in quo *s* remansit, nam ut Fusii Fusi (consules a. u. 273. 280. 282. 308. 313.), ita Iulii Iuli (a. u. 265. 281. 319. 324.), Rutilius Rufus, Fundanius Fundulus, fortasse etiam Cornelius Cossus, dicti sunt.

nius in Digg. I, 2. 2. §. 36. (242), qui innuere videtur, circa a. U. 450 hanc conversionem incepisse, Cicero denique, qui in Epist. ad famil. l. IX, 21 diserte narrat: „Fuerunt enim patricii minorum gentium, quorum princeps L. Papirius Mugillanus, qui censor cum L. Sempronio Atratino fuit, quum antea consul cum eodem fuisset, annis post Romam conditam cccxii. Sed tum Papisii dicebamini. Post hunc xiii. fuerunt sella curuli ante L. Papirium Crassum, qui primum Papisius est vocari desitus. Is dictator cum L. Papirio Cursore, magistro equitum, factus est, annis post Romam conditam ccccxv., et quadriennio post consul cum K. Duilio." Quare si *r* pro *s* in nominibus propriis circa a. U. 400 invaluit, coniiciendum est, eandem commutationem in nominibus appellativis etiam altius esse reponendam (243). Non valde igitur a vero aberrare videmur, si in Umbrica quoque lingua eam *sub finem saeculi quarti post Romam conditam* factam esse putamus. Sic vero *terminum* invenimus, *infra quem Umbrice scriptae, supra quem Latine scriptae tabulae reponi nequeunt.* Neque enim id nobis aliquis obiiciet, hanc *s* litterae conversionem aliis quoque in

---

(242) „Idem App. Claudius, qui videtur ab hoc processisse *r* litteram invenit, ut pro Valesiis Valerii essent, et pro Fusiis Furii." cf. Schneid. *Gr.* I, 1. p. 341. not. App. Claudius Caecus consul fuit a. u. 447. et 458.

(243) Neque vero negaverim, vel Pacuvii tempore histrionem Fusium appellari potuisse: quare caussam non perspicio, cur apud Horat. Sat. II, 3, 60. contra optimos codd. editores emendaverint Fufius pro Fusius.

linguis reperiri, ut in septentrionalibus Germaniae ([244]), nec necessario illam coniunctam fuisse cum simili Romanae linguae. Sed ad hanc opinionem refutandam sufficient, puto, quae infra compluribus locis exponenda erunt de magno et multiplici ambarum linguarum consensu.

De *Latinarum* tabularum signis quae adnotanda videntur, non ita multa sunt, quum ipsa Latina litteratura inde a primis temporibus ([245]), ex quo eam novimus, exiguam passa sit mutationem, neque differant magnopere, quae sub imperatoribus et quae in monumentis Scipionum numisque vel antiquissimis Romanis exarata vides. Litterae *l*, *m*, *p*, *q* solae paullo diverso modo postea scribebantur. Maximi vero hac in re momenti sunt inscriptiones Scipionum sepulcrales, quas quam accuratissime delineatas a Franc. Piranesio Enn. Qu. Viscontius ([246]) descripsit. Ex his antiquissimae L. Cornelii Scipionis Barbati (cons. a. u. 456.) et L. Cornelii Scipionis filii Barbati (cons. a. u. 494.) a ceteris, quarum primae circa a. 580 vel 600 scriptae sunt, nonnihil differunt tum quod ad linguam, tum quod ad litterarum formas attinet. Μ signum, quod postea M scribebatur, ad Septimum usque saeculum Urbis in usu fuit, quum in omnibus Scipio-

---

(244) Vide Grimm. *Gr.* I. p. 65. 121. 167. 305.

(245) Vide Muell. *Etr.* II. p. 311.

(246) *Monumenti degli Scipioni publicati dal Cav. Franc. Piranesi. Rom.* 1785. fol. Subiunctae sunt denuo hae tabulae ei, quo utor libro: *Oeuvres diverses Italiennes et Françaises d'Ennius Quirinus Visconti, recueillies et publiées par le Docteur Jean Labus.* T. I. *Milan.* 1827.

num monumentis reperiatur; itemque *p* litterae signum Γ, quod in duobus tantum distichis, quae monumento Cn. Cornelii Cn. f. Scipionis Hispani adiecta sunt, et quae superiore inscriptione iuniora puto ([247]), P exhibetur. Lineola illa, quae *q* litteram distinquit ab *o* littera, in duobus antiquissimis monumentis paullo brevior est, quam in sequentibus, et magis accedit ad Eugubinas tabulas. Forma denique *l* litterae in duobus illis titulis eadem est, quae in antiquissimis Graecis atque in Etruscis, Umbricis, Oscis 𐌋, in ceteris omnibus L. Haec inprimis est littera, quae me adducit, ut Eugubinas tabulas Latine scriptas, quum non 𐌋 sed L exhibeant, iuniores iudicem, quam illa Scipionum monumenta. Formae enim Γ et Ꝗ maiorem antiquitatem evincere nequeunt, ita ut, quum supra terminum constituerimus annum post U. c. fere 400, ante quem Latinae tabulae inscriptae esse non possint, iam integrum saeculum adiicere debeamus ad minimum. Ad ipsas litteras quod attinet, passim adhibitam reperimus litteram *g*, quae quum in Barbati monumento iam reperiatur, non multo tamen ante inventa videtur. L. Schneiderus secundo demum bello Punico hanc litteram inventam putat: at Plutarchi ([248]) verba de

---

([247]) Quum in ceteris monumentis legamus: *aidilis, aidem, quairatis,* atque in eiusdem saxi verbis supra scriptis: AID. (*aidilis*), in his versibus scribitur: *laetentur*; *m* finale non abiicitur; *honor* exhibetur, non *honos*, ut in eiusdem fere temporis monumento L. Cornelii Cn. f. Cn. n.

([248]) Plut. *Quaest.* p. 277. D. ed. Frcf.: ὀψὲ γὰρ ἐχρήσαντο (Romani) τῷ γάμμα Καρβιλίου Σπορίου προσεξευρόντος. Quum hoc

inventore Spurio Carvilio, in quibus Schneiderus nititur, nimis ambigua sunt, quam ut satis certo affirmare possimus, quis ille fuerit Carvilius, quem Ter. Scaurus (p. 2253.) Sp. Carrutium appellat, et quo tempore vixerit. Quod vero in Columna Duilii, qui a. U. 493 victoriam celebratam reportavit, *g* littera non reperitur, omnino non est, quod valde miremur. Eam enim, cuius fragmentum nobis restat, columnam primam non fuisse, sed Claudii fere temporibus in locum pristinae restitutam, Ciacconius ([249]) non sine iure contendere videtur. Quod quidem fragmentum tot alia habet, quae offendas, ut vix tibi persuadeas, siquidem, qui referunt, recte legerunt, hanc alteram columnam primae fuisse accuratum exemplum. Eugubinis in tabulis compluribus in vocibus *c* et *g* litterae alternant ([250]), quod si quis indicium credit usus minus adhuc constantis, non multo post Barbati mortem ponenda videtur tabularum scriptio. Diphthongus *ai*, quam servarunt Scipionum monumenta antiquissima, in sepulcro L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis semel iam in *ae* mutata deprehenditur in voce *aetate*, licet eadem in-

---

loco nomen Carvilii Spurii ita nudum ponatur, et paullo infra demum (p. 278. *E.*) accuratius, qui sit, describatur: *ὀψὲ ἤρξαντο μισθοῦ διδάσκειν καὶ πρῶτος ἀνέῳξε γραμματοδιδασκαλεῖον Σπόριος Καρβίλιος ἀπελεύθερος Καρβιλίου τοῦ πρώτου* (a. p. U. c. 523.) *γαμετὴν ἐκβαλόντος*, ex hoc loco in alterum irrepsisse mihi videtur nomen Spurii Carvilii; de Carrutio autem, si hoc verum fuit nomen, nihil scimus.

(249) *In Columnae Rostr. Inscr.* in *Graev. Antiq. R.* P. IV. p. 1811.

(250) *Grabovie* et *Crabovie*, *conegos* et *conecos*, *angla* et *ancla*.

scriptio exhibeat etiam vocem *quairatis*. Eugubinis in tabulis frequenter *ai* reperitur, vox tamen *persaia* (tab. VII *a*. 7.) bis scribitur *persaea* (tab. VII *a*. 41. 54.). Pro *xs* satis tarde in usum venisse videtur *x*, quum in permultis Gruteri inscriptionibus *xs* servatum sit. Barbati monumentum pro *abduxit* exhibet *abdoucit*. In sepulcro L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis (circa a. 600.) scribitur: *saxsum* et in recentissimo tantum M. Iunii Silani: *vixit*. Columnam Rostratam, quae semper *x* pro *xs* exhibet, iure hic omittimus, sed tempore SC. de Bacchanalibus (a. 568.) *xs* adhuc scribebatur, ut demonstrat iterata vox: *exstrad* ([251]). Nostrarum tabularum septimae postica

---

([251]) Quod eodem in SC. etiam *exdeicendum* et *exdeicatis* scribitur, non est, quod sententiam nostram reprobare possit. Haec enim *x* littera non plus habet sibili, quam *x* in voce *exstrad*. *s* enim litteram Romani nunquam pronuntiabant nisi sequente littera tenui vel vocali. Quum olim ante semivocales interdum ferrent, postea hic quoque evitabant vel eiicientes eam (*dusmosus, Casmilla, cesna, triresmos, tresviri, Casmena, disripio, dislabor*) vel commutantes in *r* molliorem litteram (*fusvos, casmena, osnamenta, nesvod*) vel *t* litteram interponentes (*slis*, in mon. Scip. Hisp., *stlis*, in mon. M. Iunii Silani), vel assimilantes (*pesna*). Dicebant igitur: *exclamo, expello, extraho,* sed *eblandior, edico, egredior, evello; discedo, dispono, distendo,* sed *dibalo, diduco, digredior, divello*. Quare cum in SC. bis *exstrad* et bis *exdeicendum* reperiamus, docemur, apud Romanos olim ut apud Graecos *ek* et *exs* dictum esse, *k* deinde omissam ideoque vocalem productam esse. Huc etiam pertinere videtur, quod in vasis Volcentibus saepissime commutantur litterae *k* et *x*: ΧΛΙϟΟΦΟϟ (Κλείσοφος *Mus. Etr.* 1645. bis.), ΧΟΜΑΡΧΟϟ (Κώμαρχος), ΧΑLΥΧΕ (Καλύκη *Mon. Ined. dell' Instit.* 1831. tab. 27.), ΧΑΧΥLΙΟΝ (Καχρυλίων), ΚΙΡΟΝ (Χίρων Inghiram. *Etr. Mus. Ch.* tab. 46.), ΚΑΡΟΝΟϟΕΜΙ (Χάρωνος εἰμὶ), ΑΝΤΙ-

semel exhibet: *xs* in voce *fratrexs*, cui respondet Umbrice scriptum: *fratreks*. Unam denique subiiciam animadversionem, quae rursus permagnum inter Umbricam Latinamque confirmat consensum. Nimirum, quum satis appareat, dialectum Umbrice scriptarum tabularum ut antiquiores, ita etiam integriores plenioresque servasse formas et terminationes, una formarum discrepantia contrarium demonstrare videtur. Voces enim Latinarum tabularum: *eheturstahamu*, *caterahamo*, *trahaf*, *sahate*, *sahatam*, *persnihimu*, *sehemeniar*, *ahatripursatu*, al. si componis cum iisdem vocibus, quales alterae tabulae exhibent: *etu*ꟼ*stamu*, *kateramu*, *traf*, *sate*, *satame*, *pesnimu*, *sehmeniar*, *ahtrepu*ꟼ*atu*, al., primo obtutu illae videntur, quoniam pleniores, antiquiores, hae, quoniam contractae, iuniores. Tantum vero abest, ut hoc verum sit, ut, quam suspicionem L. Schneiderus ([252]) iam movit de Latinis vocibus: *vemens*, (*ve-mens*, ut *ve-cors*), *prendo*, *mi*, *nil* (*ne-hilum*, *nilum*, *nil*, *nihil*), *cors* χόρτος, al. antiquiores has esse, quam: *vehemens*, *prehendo*, etc., egregie Umbrica lingua confirmetur. Sunt enim breviores formae non contractae, sed longiores distractae, interposita *h* littera. Tempus autem, quo hae distractiones in Romana lingua increbuerunt, antiquius fuisse apparet, quum Ciceronis temporibus nonnullae iam evitaren-

---

MAKOS (*Mus. Etr.* 1645.), **NAIKI** (*ναιχὶ ibid.* 1433 bis, 590 bis), **XLIBYLOS** (Κλείβουλος) cf. Welcker *in Mus. Rhenan.* P. I. Fasc. II. 1832. p. 67. sqq.

(252) *Gr. L.* I, 1. p. 118. not. 187.

tur, et aliae, ut *mehe* pro *me* ([253]), *Deheberis* pro *Tiberis* ([254]) diu evanuissent. Num huc etiam nomen *Ahalae* trahi possit, dubito, quum contractio illa ([255]), de qua Cicero memorat, quarto iam saeculo ineunte facta esse non potuerit. Quam vero Livius ([256]) a. U. 459 *Aharnam* appellat, eandem esse, atque quam Umbriae Plinius aliique *Arnam* nominant, vix potest dubium esse ([257]). Quare facile adducor, ut quem tabulae memorant *Naharcum* populum, *Naris* fluminis Umbrici accolas putem. SC. de Bacchanalibus iam exhibet: *ahenus* pro *aeneus*, itaque non nimis a vero aberrare videmur, si hanc distractionem vocalium, quam in Latinis Eugubii tabulis frequentissimam reperimus, nondum autem in tabulis Umbrice scriptis, sexto post Romam conditam saeculo attribuimus.

Hae, et quas etiam infra passim adiiciam, comparationes verisimillimum mihi reddiderunt, *Eugubinas tabulas Latine scriptas medium fere assequi sextum saeculum ab Urbe condita*, ita ut vel duo saecula intercedant inter tabulas Umbrice et Latine inscriptas.

---

(253) Quintil. I, 5, 2.

(254) Varro *L.L.* p. 13. ed. Bip.

(255) Cic. *Orat.* c. 45. §. 153: „Quomodo enim vester Axilla Ala factus est, nisi fuga litterae vastioris?" cf. Schneid. I, 1. p. 187.

(256) *Hist.* X, 25.

(257) Alii vel *Aharnaham* legunt cf. Sigon. ad h. l., *Osserv. Letter. di Maffei.* T. VI. p. 5. et Bardetti *della lingua de' primi abitatori* etc. p. 310.

DE DISPOSITIONE TABULARUM.

Casu quodam factum est, ut, qui primus tabulas universas exhibuit, Ph. Bonarota in Dempsteri Etruria Regali, omnium fere posticas praeposuerit, anticas postposuerit. De cetero ad suum arbitrium tabulas ita disposuit, ut praemitteret Etruscas atque inter Etruscas initium faceret a minoribus duabus, quae una tantum parte inscriptae sunt, subiungeret illam, quae in postica etiam Latinos paucos versus exhibet, magnitudine medium tenentem inter praecedentes atque reliquas duas, quae hanc sequuntur, maximas. Finem faciunt Latinae tabulae, quae iusto ordine se excipiunt, nisi quod prioris posticam anteposuit. Hunc, ut primum ita constitutum ordinem, in subsequentibus sequar, usquedum demonstravero, quatenus et quibus ex caussis mutandus mihi videatur.

Et *sextam* quidem Dempsteri tabulam iam apud Gruterum rectius videmus exhibitam, Ioanne Metello, qui exscriptam Grutero misit, anticae parti suum locum vindicante. Quod vero L. Bourguetius (258) primus observavit, tabulam quartam Umbrice scriptam eiusdem fere argumenti esse atque duas Latinas, inde apparuit, *sextam* simul atque *quartam* Dempsteri tabulas convertendas esse. Initium enim posticarum partium ambarum idem est, in al-

(258) *Bibl. Italique.* T. XIV. p. 20.

tera: *Este: persklum: aves: anxeriates: enetu:,* in altera: *Este . persclo . aveis . aseriater . enetu.* Respondent deinde Umbricae tabulae eiusdem versus secundus et tertius versui vicesimo secundo Latinae, et versus IV. usque ad X. Umbricae finem faciunt in postica Latinae tabulae. Inde a versu XI. eadem postica Umbricae tabulae respondet initio anticae Latinae usque ad versum XLI. Itaque postica pars Latinae tabulae praeponenda est. Quae vero in Latinae tabulae antica post versum XLI. consequuntur, incipiunt Umbricae tabulae anticam. Itaque postponenda est haec antica. Eiusdem denique anticae dimidia pars (vss. XXIV. et seqq.) respondet anticae tabulae septimae, unde apertum fit, sextae tabulae statim continuari septimam. Hanc Bourguetii animadversionem in suum usum etiam Passerius et Lanzius converterunt. Ceteroquin Passerius tum in Epistolis Roncaliensibus, tum in Paralipomenis praemisit Latinas tabulas, secutum se dicens (259) Iustiniani Augusti consilium, a facilioribus esse inchoandum. Nobis, quippe qui haud putamus, unam tabulam altera facilius posse explicari, neque meliorem conspeximus eventum in Latinis quam in Umbricis tabulis a Passerio tentatis, aliter visum est, satiusque fecisse nos credimus, si ad temporis rationem tabulas disponere contigerit.

Iam vero extra dubium positum videtur, *Umbrice scriptas* tabulas antiquiores esse Latinis, illas

---

(259) *Paral.* p. 247.

igitur cum Bonarota et Lanzio esse *praemittendas* ([260]). Inter has vero ipsas tres partes discernendae sunt, si ad externam modo formam respicis. Tabulae apud Dempsterum I. et II. eiusdem mensurae atque scripturae uno tantum in latere inscriptae sunt ambae, pariterque quarta tabula prorsus adaequat quintam ([261]). Priores duae longe tamen minores sunt alteris. Singularis restat tertia, quae ad mensuram inter ceteras medium tenet utroque latere inscripto litteris tamen ex parte Latinis. Ex his tribus partibus unaquaeque litterarum Umbricarum nonnullas exhibet discrepantias et maximas quidem tabula tertia, quae vel prorsus novum exhibet signum *m* litterae Λ, quod neque in reliquis Eugubinis tabulis, neque ullo alio in monumento, quoad sciam, reperitur. Hanc vero *tertiam tabulam postremo loco* inter Etruscas collocare, nullus dubito. Nam praeterquam, quod litteris exarata est, venustioribus ([262]), quam ceterae, una in re dialectus quoque magnopere ad Latinarum tabularum dialectum accedit. Quum enim supra notaverimus, discrimen inter antiquiorem posterioremque Umbrorum dialectum in eo potissimum

---

([260]) Lanzius *Saggio* T. II. p. 691. suspicatur, eidem fere tempori omnes tabulas accensendas esse, propterea, quod eorundem hominum nomina tum in Umbricis, tum in Latinis reperiantur tabulis. Hoc vero argumentum nullum esse, infra, ubi de argumento disputabimus, demonstrabimus.

([261]) Pass. *Paral.* p. 307.

([262]) Lanz. *Saggio* T. I. p. 285: *Pajono di uno stesso carattere la I. e II. presso Dempstero di altro diverso la IV. e V. La più ben scritta è la III., si ne' caratteri Etruschi, si ne' pochi Latini, chi sieguono.*

conspici, quod illa certis in vocibus, praecipue in terminationibus constanter *s* litteram servet, quam haec in *r* commutet, tertia tabula iam est excipienda, quippe quae terminationes exhibeat in *r* desinentes, quae in ceteris tabulis Umbrice scriptis in *s* desinunt. Conferas voces in tertia tabula: *Atiieᑫier*, *Atiieᑫiur*, *kluviier*, *nuᑫpener*, *tupler*, *tripler*, al.; in Latinis tabulis: *Atiiersir*, *Atiiersiur*, *Iovinur*, *vehier*, *treblanir*; in Umbricis: *treplanes*, *Atiieᑫies*, *Ikuvinus*, *vehies*, *anpenes*. Antiquior enim dialectus nullam *r* exhibet in syllabis finalibus, nisi quae ad stirpem pertineat, ut: *frater*, *Iupater*, *super*, *uhtur* (cf. *uhturu*, *uhtretie*), al. Haec autem animadversio non minimi momenti nobis videtur, tum quod ad dispositionem tabularum temporumque rationem, tum quod ad sententiam supra prolatam attinet, non scripturae tantum, sed ipsi linguae paullatim mutatae discrepantias illas inhaesisse, quas diversis in monumentis reperimus. Nec Lanzium cogitavisse putaverim de duabus eiusdem urbis eiusdemque temporis dialectis, si cognovisset, in ipsis Umbrice scriptis tabulis linguae apparere differentiam, quae non possit ad orthographiam fortasse minus constantem referri. Oportet igitur, *hanc tertiam tabulam etiam paullo post illum terminum ponamus*, quem supra Umbrice scriptis tabulis in universum constituimus, *post finem* dico *quarti saeculi ab Urbe condita*. De *reliquis duabus partibus*, utra praeponenda sit, quaeritur. Et quamquam omnino non magnum inter utramque temporis spatium intercessisse videtur, *maiores* tamen *tabulas* IV. *et* V. *anteponere placet*. Hoc enim

suadent litterarum formae in illis magis rotundae et sinuosae, hoc signa Ⴗ et ㄐ pro ᛏ et ǂ, hoc denique vox *Ikuvina*, quae in tabulis I. et II. non invenitur, antiquior profecto, quam altera *Iiuvina*. 𐌌 signum, quod Bonarota non recte m exhibet ([263]), non tam ad antiquissimam Etruscam formam 𐌌 vel 𐌌, quam ad Oscam huius litterae formam 𐌌 accedere videtur. *Ante quintam autem tabulam praemittendam duxi quartam*, propterea quod huius argumentum, ut infra videbimus, quodammodo singulare est, illius ad ceteras accedit. *Quintae quoque tabulae posticam anteposui.* Quae enim in quartae tabulae antica, quam postponendam esse supra vidimus, conspicitur subscriptio, iteratur in antica quintae tabulae, quare hanc quoque revera posticam esse putamus. Denique *quod ad I. et II. tabulas Dempsterianas attinet*, Passerius iam recte monuit, *secundam praemittendam primae.* Postremae enim voces tabulae II: *aꟼveitu: inumek: etrama: spanti: tuva: tefra: prusekatu: eꟼek:* statim profecto excipiuntur primis tabulae I. vocibus: *aꟼveitu: inumek: tertiama: spanti: triia: tefra: prusekatu: eꟼek.* Iam igitur hunc Umbrice scriptarum tabularum ordinem consecuti sumus: *tab. IV. postica, antica, tab. V. postica, antica, tab. II., tab. I., tab. III. antica, postica.*

Latinarum tabularum posticam sextae tabulae anteponendam esse vidimus, *anticam sequi, hanc excipi septimae tabulae antica.* Subiiciuntur in *septimae postica pauci versus*, qui neque eiusdem argumenti sunt

(263) Lanz. III. p. 694.

atque antecedentia latera, neque in Umbricarum tabularum quarta, quae ex nostro ordine prima est, habent, quibus respondeant. Accedit, quod Lanzius (264), qui huius lateris prima verba, qualia in ipsa tabula conspiciantur, repraesentavit (265), magnam signorum similitudinem observasse sibi videtur cum titulis monumentorum Scipionum non antiquissimis, atque hanc ob caussam *non ultra septimum ab Urbe condita saeculum hos versus reponi posse* adfirmat. Omnium tamen *recentissimam partem eam esse, quae Latinis litteris in tabulae apud Dempsterum tertiae postica exhibetur,* apparet non tantum ex scripturae maiore elegantia (266), sed etiam ex signo litterae *q*, quod ubique scribitur Ϙ, exceptis his versibus, in quibus recentior forma Q exhibetur. Ad tempus igitur, quo scriptae videantur, ita disponimus Latine scriptas tabulas, ut *praemittamus sextae tabulae posticam, subiiciamus anticam, deinde septimae anticam, tum posticam, postremo loco tertiae tabulae,* quae ad nostrum ordinem quinta est, *posticam*, in qua quum Umbrici Latinique versus non bene possint dirimi, temporum rationem in ea re praetermittentes, post ipsos illos Umbrice scriptos versus hanc recentissimam tabularum partem postea numerabimus.

---

(264) *Saggio* T. I. p. 159.

(265) T. I. tab. II. n. IX.

(266) Lanz. *Saggio* T. I. p. 285: *La più ben scritta è la III. si ne' charatteri etruschi, si ne' pochi latini, che sieguono; la cui forma è rotonda, distinta, e paragonabile a' migliori che abbiamo della Romana republica.* cf. T. III. p. 687.

Omnium igitur tabularum recensum hunc in modum proferre licet:

	Dempst.
I *a*.	IV *b*.
I *b*.	IV *a*.
II *a*.	V *b*.
II *b*.	V *a*.
III.	II.
IV.	I.
V *a*.	III *a*.
V *b*.	III *b*.
VI *a*.	VI *b*.
VI *b*.	VI *a*.
VII *a*.	VII *a*.
VII *b*.	VII *b*.

Qui autem fieri potuerit, ut tam diversis temporibus singulae inscriberentur tabulae, hac de re aptius alio loco disputabimus.

Quum iam absolverim primam particulam commentationis de Tabulis Eugubinis, quam totam non licuit hic proferre, iuverit tamen, ceterarum partium designationem certe et argumentorum dispositionem attulisse. Apparebit inde, neutiquam id mihi consilium fuisse, ut interpretationem omnium, vel etiam plurimorum, quae in tabulis exhibentur, verborum efficerem — neque enim divinandi mihi ingenium, nec ludendi est animus — sed ut, amplissimo hoc monumento quam accuratissime pervestigato, proponerem, tum quae de Umbrica lingua per se, tum

etiam, quae inde de ceterarum Italiae linguarum, inprimis Latinae, origine, cognatione, universa natura eruere potuerim. Quod vero in hoc primo capite, de litteratura potissimum conscripto, copiosius aliis atque vel anxie interdum egisse videar, id mihi eos non vitio daturos opinor, qui cognitum habent, quanta cautione atque demonstrationis fere absolutione opus sit in expediendis his rebus, quae quo diutius fuerunt quasi deliciae hominum doctorum, eo magis redditae sunt ambiguae et difficiles tractatu.

CURRICULUM VITAE.

Carolus Richardus, Caroli Petri f., Lepsius a. d. x. Cal. Ian. anni mdcccxi. Numburgi natus sum. Annis xii. inter familiam bene frequentem domi educatus et puerili doctrina a paedagogis institutus sum, usquedum maturus viderer, qui in Schola Provinciali Portensi severiorum studiorum cursum inciperem. Verum non studiorum tantum gravem moderatricem, non virium tantum mentisque strenuam exercitatricem, sed omnis etiam vitae Almam Matrem profiteri Portam ipse gestit animus, qui saepenumero cum grata piaque recordatione recolit eam, quam, praeter severitatem disciplinae, etiam benignitatis per vitam gratissimae suavitatem illic expertus est. Inter istos autem, summa omnes pietate venerandos praeceptores, unum nominasse certe — qui enim praedicare sustineam — animus impellit, cuius immaturam mortem omnes, quibuscunque vixit, summo luctu deploramus, Langium dico. — Sex annis praeterlapsis e Porta discedentem, et philologiam professum, inprimis dignum, qui ad altiora litterarum studia admitterer, me censuerunt. Conversus igitur primum in Academiam Lipsiensem, grammaticis tum inprimis criticaeque arti operam dedi, egregium sane intuens exemplum. Per annum ibi versatus, deinde Gottingam me converti, ubi inter Seminarii Regii et Societatis Philologicae sodales receptus, per duos annos

quum humanissimorum iuvenum consortione, tum praeclarorum virorum scholis atque vel privata, quoad aetati meae concessum erat, consuetudine mirum quantum delectatus atque excitatus, potissimum tamen archaeologiae egregria pulchritudine captus, et linguarum, quas nova ratione explanatas et ad ipsius naturae quasi officinam revocatas conspiciebam, assiduae contemplationi deditus sum. Annus fere est, ex quo Berolinum cum Gottinga commutavi, atque civibus Academiae Fridericae Guilelmae adscriptus sum. Ubi admissus deinde inter sodales Seminarii Regii, iam academicis studiis auspiciis summorum virorum non immature finem imposuisse, in votis est.

THESES.

1. Linguam Latinam non magis esse mixtam, quam Germanicam Graecamve.
2. Graecarum dialectorum historiam repeti fere in linguis Germanicis.
3. Maximum inter veteres atque recentiores linguas discrimen in eo positum esse, quod, quae in illis terminationum valuit integritas, in his obstrictior verborum collocatio efficit.
4. Particulam privativam apud Graecos a principio unam ἀν fuisse; ceteras, quae reperiantur, formas secundum euphoniae leges inde natas esse.
5. Quod in lingua Germanica saeculi XIII. et XIV. lex fuerit negationis in eadem enuntiatione duplicandae (*ne-niht*, *ne-nieman*, *ne-kein*, al.), huius legis originem repetendam esse ab ipsa negationis natura, quae in lingua Gothica integra adhuc conspiciatur.
6. Vasa Etrusca non importata esse, inscriptionum litteratura confirmari.
7. Praeter Romam alias multas Italiae urbes numorum pretia non globulis tantum, sed emblematum diversitate distinxisse.

8. In Euripidis Hecuba scenam constanter in Thracia esse.

9. Vocabula αὐερύειν atque αὔϊαχος digammate intercedente facta esse ex ἀνερύειν atque ἀνΐαχος.

10. Versum in Hesiodi Theogonia 797:

βρώσιος, ἀλλά τε κεῖται ἀνάπνευστος καὶ ἄναυδος,

subditicium esse.

11. Aeschyl. Agam. vs. 357:

Πολλῶν γὰρ ἐσθλῶν τὴν ὄνησιν εἱλόμην,

Hermanni interpretationem unam esse rectam, etiamsi librorum lectio retineatur.

12. Libertatem non posse concedi nisi ei qui habeat.